

**DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.**  
**Commentarii in materiam de peccatis**  
**(1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>)<sup>1</sup>**

**Ad q. 81, 82 et 83**  
**TRACTATUS DE ORIGINALI PECCATO**

**Sectio 3<sup>a</sup>**  
**QUAE PECCATA ET QUORUM PARENTUM**  
**AD POSTEROS TRADUCI POTUERINT**

**Dubitatur 1<sup>o</sup>**  
**Utrum omnia peccata Adami vel aliorum parentum**  
**traducantur ad posteros**

[f.489]

De hac re dubitavit semper Augustinus, nam in Ps. 105 *peccavimus cum patribus nostris* dubitat utrum sit sensus ita filios peccavisse cum parentibus in Aegypto *ut Levi cum Abrahamo decimatus est quoniam in lumbis eius erat quando decimas obtulit Melchisedech*<sup>2</sup>, vel potius imitatione illorum peccavisse, et in Enchiridio, capite 46, *parentum inquit peccatis parvulos obligari non solum primorum sed etiam suorum de quibus nati sunt*, non improbabiliter dicitur<sup>3</sup>. Vide quae ex capite 45, 47 et 49 eiusdem libri colligit Magister, 2, d.33<sup>4</sup>. Idem colligit Augustinus, 6 In Julianum, cap.2<sup>5</sup>, et docet Leo Papa, epistola 83 ad Nicetam atque eidem suscribere videtur Gregorius, 15 *Moralium*, cap.22<sup>6</sup>.

---

<sup>1</sup> Seguimos publicando el ms. 582 de la Biblioteca de la Universidad de Salamanca, *Commentarium in materiam de peccatis*, a la 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup> de Santo Tomás. Ya publicados los comentarios a las qq.71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 79, 80, y 88, 89.

<sup>2</sup> S.AUGUSTINUS, in *Ps 105* (PL 37,1409).

<sup>3</sup> S.AUGUSTINUS, *Enchiridion*, c.46 (PL 40,254)

<sup>4</sup> PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.33, c.1 et 2, (Ad Claras Aquas 1916, p.480,482).

<sup>5</sup> S.AUGUSTINUS, *Contra Iulianum pelagianum*, l.6, c.2 (PL 44, 823).

<sup>6</sup> S.GREGORIUS MAGNUS, *Moralium*, l.15 (PL 75, 1104).

Praecipuum argumentum quod D. Augustino dubitationem iniecit desumitur ex capite 20 Exodi *Ego sum Deus Zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in 3 et 4 generationem*, et Deuteronomio 5 [9] *reddat peccata patrum in filios*. —

Confirmari potest plerisque Sacrae Scripturae exemplis quibus filii propter parentum peccata interfecti sunt, ut in diluvio omnes; in Aegypto primogeniti etiam parvuli; et Iosue, capite 7, filii Acham et filiae igni traditi sunt cum parente; Num. 31, parvuli generis masculini praecipiuntur occidi ex civitate Madiam; 1 Regum 15 [1 Samuel 15,3], Sauli praecipit Dominus ut ex Amalech interficiat parvulum atque lactantem; 2 Regum 12 [2 Samuel 12,14], propter Davidis adulterium interficitur parvulus ex adulterio natus; 1 Regum [f.489v] 4, praedicitur totam Heli posteritatem fore puniendam; 2 Reg 4 [2 Samuel 4], David imprecatur mala universae domui Ioab et patris eius propter prodicionem et homicidium Abner; 3 Reg 14 [1 Reg 14,10], *ego inducam malum super Ieroboam* et super universam domum eius.

Ex his et similibus desumitur argumentum: nullus punitur iuste nisi pro culpa quam contrahit; sed filii puniuntur propter peccata parentum; ergo ex illis contrahunt culpam.

Confirmatur 2<sup>o</sup>: quoniam parvuli ante usum rationis non possunt esse conscii paterni nec imitatione participes; ergo non alia ratione puniuntur nisi quoniam origine contrahunt peccata parentum.

Confirmatur 3<sup>o</sup>: quoniam totus Israel fame opresus est tribus annis donec ad expiationem criminis quo Saul iniuste gabaonitas oppresserat et multos occiderat, suspensi sunt duo filii et quinque nepotes Saulis, 2 Reg 21 [2 Sam 21]. Quod factum fuisse Deo vel imperante vel saltem approbante constat ex textu.

Confirmatur 4<sup>o</sup>: quoniam iustae sunt leges quibus ita punitur crimen laesae maiestatis ut non solum reus sed tota eius posteritas nobilitatem et opes amittat; ergo peccata parentum ad filios transeunt.

Idem argumentum vim habet in iis qui ex damnato concubitu nascuntur quos secularis respublica et ecclesiastica legibus multis deprimit et vexat.

2<sup>um</sup> argumentum: quoniam David ex legitimo toro natus inquit in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea; ergo non unum sed plura peccata a parentibus accipimus.

3<sup>um</sup>, quoniam a primo parente propterea culpam contrahimus quo-

niam in eius generativa virtute continebamur ut effectus in causa, sed simili modo continebamur in proximis parentibus; ergo eorum etiam peccata per originem accipimus.

4<sup>um</sup>, quoniam unusquisque potentior est ut in alium transferat quod a se ipso habet quam quod habet ab alio sicut ignis potentior est ut calefaciat quam aqua calefacta sed homo transfert in filios peccatum quod ab Adamo accipit; ergo potentior erit ut suum personale peccatum in filios transferat.

—Confirmatur quoniam propinquum agens fortius agit quam remotum; sed Adamus remotissimus progenitorum causat originale peccatum; ergo proximi parentes causare poterunt.

5<sup>um</sup>, quoniam quamvis persona careat gratia propter peccatum personale adhuc potest multiplici reatu peccatorum sordescere secundum illud Apocalipsis ultimo [22,11]: *qui in sordibus est sordescat adhuc*; ergo similiter humana natura quamvis propter originale peccatum careat prorsus gratia potest nihilominus plures originales [f.490] reatus a parentibus contrahere.

6<sup>um</sup>, saltem videtur transmitti ad filios peccatum adulterii aut fornicationis quia ratio transmittendi originale peccatum est infectio et corruptio generativae virtutis circa actum generandi; sed peccatum adulterii aut fornicationis continet corruptionem virtutis generativae maiorem quam actus matrimonii; ergo transmittit suam malitiam in filios.

7<sup>um</sup>, quoniam saltem omnia peccata Adami transibunt ad filios quoniam ut primus homo totam massam humani generis corruptit, ita secundus homo reparavit; sed Christi Domini omnia merita huius vitae fidelibus regeneratis communicat; ergo omnia Adami peccata ad filios carnali generatione transibunt.

Nihilominus CONCLUSIO certa: unicum tantum peccatum ad posteros transmitti, scilicet primum peccatum Adami, reliqua autem sive eiusdem sive aliorum parentum nullum reatum culpae ad filios transferunt. Ita Anselmus ex professo capite 23 De conceptu Virginis<sup>7</sup>; Hugo, De Sacramentis Fidei, libro 1 in fine totius partis<sup>8</sup>; Magister<sup>9</sup>

<sup>7</sup> ANSELMUS, *De Conceptu Virginali*, c.23 (PL 158, 456).

<sup>8</sup> HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis Fidei*, l.1, pars 7<sup>a</sup> (PL 176, 299-306).

<sup>9</sup> PETRUS LOMBARDUS, *op.cit.* 2, d.33, *ed.cit.*, p.480s.

et scholastici, 2, d.33; Albertus, 2 p., q.112, fine<sup>10</sup>; Alexander, 2 p., q.122, memb.8 et mem.3, a.1; Altissiodorensis, lib.2, tract.27, cap.3 ad 1; D.Thomas, q.81, a.2<sup>11</sup>, ubi Caietanus, Conradus<sup>12</sup> et reliqui discipuli; D.Bonaventura, 2, d.33, a.1, q.1<sup>13</sup>; Ricardus ibidem; D. Antoninus, 1 p., tit.8, cap.1<sup>14</sup>; Durandus, d.33, q.1<sup>15</sup>; Scotus, d.32 prope finem<sup>16</sup>; Ruardus a.2 contra Lutherum, versus finem, propositione 10 de originali<sup>17</sup>; Bellarmino, tomo 3, libro 4, De amissione Gratiae, cap.ultimo<sup>18</sup>; Valentia, tomo 2, disp.6, q.11, puncto 3<sup>19</sup>.

PROBATUR 1<sup>o</sup>: quoniam Sacra Scriptura et Patres, cum de originali culpa a parentibus accepta loquuntur mentem faciunt primi peccati et nullius alterius peccati sive Adami sive aliorum parentum, quod manifestius est ad Romanos 5 (16) iudicium quidem ex uno (scilicet delicto) in omnes homines in condemnationem, gratiam vero ex multis delictis in iustificationem, quo loco gratiae virtus peccati perniciem vincit, quoniam cum fuerit unicum delictum quo totum genus humanum damnatum fuit gratia non ab illo tantum sed ab aliis innumeris delictis personalibus liberat – Eiusdem peccati unitas repetitur saepius eodem capite ut ibi unius delicto multi mortui sunt et unius delicto mors regnavit et unius delicto in omnes homines in condemnationem et per *unius inoboedientiam peccatores constituti sunt multi*.

<sup>10</sup> B. ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tr.17, q.112 (Ed.Vivès 1885, T.33,p.326).

<sup>11</sup> THOMAS AQ., *1 2, q.81, a.2* (Ed.Vivès, 1.870, 2, p.542s)

<sup>12</sup> CONRADUS KOELLIN, O.P. *In Primam Secundae, q.81, a.2* (Venetiis 1589, p.639).

<sup>13</sup> S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.33, a.1, q.1 (Ed. Quaracchi 1885, 2, 782s).

<sup>14</sup> D. ANTONINUS, ARCHIPRESULIS FLORENTINUS O.P., *Repertorium literale Summe, 1 p., tit.8, § 1* (1629, p.96).

<sup>15</sup> DURANDUS DE SANCTO PORCIANO, *In II librum Sententiarum, d.33, q.1* (Antverpiae 1566, p.187).

<sup>16</sup> IOANNES DUNS SCOTUS, *In librum secundum Sententiarum, Q.32* (Ed.Vivès 1893, p.320).

<sup>17</sup> RUARDUS TAPPER, *Explicationes articulorum.. art.2 contra Lutherum, prop.10<sup>a</sup>* (Lovanii 1565, p.88).

<sup>18</sup> ROBERTUS BELLARMINO, *De amissione Gratiae*, 1.4, c.18 (Ed.Vivès 1873, t.5, p.384).

<sup>19</sup> GREGORIUS DE VALENTIA, *Commentariorum theologicorum t.2, disp.6, punc.3* (Lugduni 1603, p.629).

CONFIRMATUR quoniam saltem solius Adami et nullius alterius parentis peccatum transire ad posteros colligitur ex similitudine Christi Domini qua 1Cor 15 (47) Adamus *homo primus* et Christus Dominus *secundus homo* appellatur quod si aliorum hominum peccata per generationem [f.490v] traheremus, nec solum Adam diceretur figura futuri nec recte Christus Dominus diceretur secundus homo, id quod diligenter observavit Augustinus, et ex Augustino Prosper, libro sententiarum Augustini, sententia 299<sup>20</sup>.

2<sup>o</sup> PROBATUR ex Augustino, qui libro 1 De peccatorum meritis, cap. 10, *unum dicit esse peccatum in quo omnes peccaverunt*, et in Enchiridio, cap. 43<sup>21</sup> supponit unicum tantum originale inesse parvulis, quod manifestius ostendit cap.44 et 45, ut dicitur infra ad 2. Et omnes Patres idem supponunt quoniam fere semper utuntur voce singulari et circumstantias expriment quibus primum peccatum manifeste designatur, dum dicunt lapsum naturae humanae in Paradiso, antiquam impietatem, antiquam mortem, et similia, ut constat apud Dyonisius, De ecclesiastica hierarchia, cap.3, parte 3<sup>22</sup>; Ignatius, epistola ad Trallianos<sup>23</sup>; et in iis testimoniis quae ex Irineo, Cypriano, Gregorio Nazianceno, Retitio, Olimpo, Hilario, Ambrosio, Ioanne Chrysostomo et Hieronimo refert Augustinus, 1<sup>o</sup> Contra Iulianum<sup>24</sup>, et quae cum Cypriano docet Hieronimus, libro 3 Contra pelagianos, fine<sup>25</sup>. Vide alios Patres, sec.1, dub.2 pro conclusione 3.

CONFIRMATUR denique quoniam Tridentinum sess.5, can.3<sup>26</sup>, docet originale peccatum ex unico peccato Adami procedit.

RATIONE autem triplici probat Anselmus supra: 1<sup>a</sup> quoniam originale peccatum est originalis iustitiae nuditas; sed haec in summo gradu causata est ex primo peccato Adami; ergo nec numero nec gravitate augeri potest aliis peccatis Adami aut proximorum parentum. Minor probatur, quoniam ubi nulla remanet iustitia, non

<sup>20</sup> PROSPER AQUITANUS, *Sententiarum ex operibus Sti. Augustini...Sent. CCCI (alias 299)* (PL 51,473).

<sup>21</sup> AUGUSTINUS, *Enchiridion*, c.43 (PL 40, p.253).

<sup>22</sup> DIONYSIUS AREOPAGITA, *De ecclesiastica Hierarchia*, c.3, §XI (PG 3, 467)

<sup>23</sup> S. IGNATIUS, *Epistola ad Trallianos* (PG 5, 794).

<sup>24</sup> AUGUSTINUS, *Contra Iulianum pelagianum*, l.1, c.3s (PL 44, 644s).

<sup>25</sup> S. HIERONYMUS, *Contra pelagianos*, l.3 (PL 23, 616).

<sup>26</sup> Dz. 790.

potest fieri maior iustitiae nuditas; sed Adamus primo peccato omnem prorsus iustitiam prodidit; ergo causavit nuditatem iustitiae in summo gradu.

Contra quam rationem ARGUITUR: 1º, quoniam habituale peccatum personale consistit in privatione gratiae et nihilominus multiplicantur et graviora redduntur personalia peccata per ordinem illius privationis ad varias actiones turpes, supra, sec.1, dubio 1; ergo privatio originalis iustitiae potest esse multiplex peccatum habituale in ordine ad multas actiones turpes parentum quae filiorum nomine commissae fuerint et illis imputentur.

ARGUITUR 2º, quoniam saltem de potentia absoluta possibile fuit plures parentes fieri filiorum capita quantum ad diversa dona supernaturalia amittenda vel retinenda, ut nomine filiorum obligarentur praeceptis, et tunc peccantibus variis parentibus contra illa diversa praecepta, in illis omnibus ut in capitibus filii peccarent et ab illis contraherent reatum diversum originalis culpae.

Igitur ut rationis vim aperiam, DICO 1º: nulla videtur contradictio si de potentia absoluta Dei his [f.491] legibus et obligationibus constituerentur plures parentes quibus nomine filiorum obligarentur ad diversa dona supernaturalia retinenda nomine filiorum, quo casu si parentes plures amitterent varia dona supernaturalia, transmitterent ad singulos posteros plura originalia peccata simul. — Et eadem ratione si primus parens pluribus praeceptis circa diversa dona supernaturalia nomine filiorum ita obligaretur ut unum donum amitti posset alio retento donec per aliud peccatum amitteretur, tunc filii ex variis peccatis parentis contraherent varia originalia peccata. — Quapropter de potentia ordinaria et non de absoluta intelligenda est impossibilitas multiplicandi peccata originalia eiusdem hominis, quam affirmant Anselmus, D.Thomas et D.Bonaventura citati, quod ad aliud propositum observavit Conradus, q.81, a.2, notab.3<sup>27</sup>. — Hoc idem verisimiliter suadent argumenta praecedentia. — Esset autem in eo casu diversorum originalium poena, diversa scilicet carentia illius doni cuius praeceptum violavit et carentia donorum quae sine illo esse non possunt.

---

<sup>27</sup> CONRADUS KOELLIN, O.P., *In Primam Secundae* (Venetiis 1589, p.639).

DICO 2<sup>o</sup>: de potentia ordinaria vim suam retinet Anselmi ratio: supponit enim quod fides docet omnibus supernaturalibus donis destitutos nasci filios Adami propter illius peccatum primum, quod signum est Adamum ita constitutum esse caput humani generis ut ab illo tantum et ab unico illius peccato penderent omnia dona supernaturalia.

– Quo supposito Anselmi ratio instauratur hoc modo: postquam per unicum actum Adami tota posteritas evasit nuda omnibus supernaturalibus donis fieri non potest ut alii parentes sint filiorum capita quantum ad culpam et obligationem, nec idem primus parens per alios actus<sup>28</sup>; ergo non contrahuntur multa originalia peccata. Consequentia probatur quoniam nisi qui filiorum fuerit caput illo speciali modo non potest in filios derivare culpam. Antecedens autem probatur quoniam parentes constituendi essent capita quantum ad recuperandam et non recuperandam iustitiam, ita ut non recuperare imputaretur originaliter posteris et hoc non quoniam solius Christi Domini est caput esse recuperandae iustitiae, ut infra, sec.5, dub.8, mem.3 et 4; vel constituendi erant capita quoad aliqua dona naturalia amittenda vel retinenda, quod nec expediens nec dignum est divina sapientia et liberalitate, sect.1, dub.8, difficultate 7. De aliis autem donis supernaturalibus retinendis non poterat iniri pactum, quoniam omnia erant amissa ut suppono, et non expediebat ea ab invicem separari, ut amissa gratia aliquod illorum transiret ad posteros.

DICES: poterat nihilominus Deus filios Noe v.g. in ipso obligare aliquo praecepto [f.491v] quamvis non pro retinendo vel amittendo aliquo dono supernaturali. —

RESPONDEO, ex eodem loco citato non expedire, et propterea forte esse impossibile posteros obligare in parente nisi cum spe alicuius maximi emolumenti quod ex illo pacto cum parentibus inito filiis provenire possit atque inde magis explicatur et confirmatur haec ratio quoniam peccata personalia multiplicantur licet nullum donum supernaturale amittatur denuo idque propterea quod obligationes personales plurimae sunt quae non pertinent ad dona supernaturalia amittenda vel retinenda quod in originale peccato fieri non potest

---

<sup>28</sup> ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali*, c.24 (PL 158, 458).

saltem de potentia ordinaria atque hoc forte voluit Anselmus, cap.23 De conceptu virginali, prope finem his verbis: *si igitur infantes nequeunt ostendi mox ut animam habent alius alio magis aut minus vel velle quod debent aut quod non debent nemo potest probare quod in infantibus alius alio nascatur iustior vel iniustior*<sup>29</sup>. — His consonant fundamenta Bonaventurae, Ricardi et Durandi.

2<sup>a</sup> RATIO Anselmi: quoniam iusti parentes nullam iustitiam transmittunt ad filios, infra, sect.6, dub.8, mem.3 et 4; ergo iniusti parentes non addunt iniustitiam et peccata. Consequentia probatur, quoniam Adamus suam culpam in nos ita transtulit ut si non peccavisset transmisisset ad nos originalem iustitiam, sed alii parentes etiamsi se continerent ab omnibus peccatis mortalibus nullam iustitiam possent transmittere; ergo nec iniustitiam et peccatum transmittere poterunt.

CONFIRMATUR 1<sup>o</sup>, quoniam Adamus etiamsi numquam peccavisset non transmitteret ad posteros sua peculiaris merita quae ex variis actibus supernaturalibus procederent sed tantum transmitteret originalem iustitiam non minorem in primum filium quam in postremum cuius generationem plura personalia merita praecessissent; ergo non transmittit ad filios alia peccata praeter primum quo originalis iustitia amissa est. —

CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, ex D.Thoma in *sed contra*,<sup>30</sup> quoniam bonum est magis difusivum sui quam malum; sed merita non traducuntur nisi ab uno capite; ergo peccata non nisi ab uno capite.

3<sup>a</sup> RATIO Anselmi: quoniam poena aequalis manet ad pueros sine baptismo decedentes, sive filios iustorum sive perditissimorum parentum; ergo nullus puerorum contraxit culpas suorum parentum, alioqui ille qui plures culpas contraxisset dignus esset graviore poena.

—CONFIRMAT Magister<sup>31</sup> quoniam poena puerorum est mitissima omnium, de quo dicemus sectione 4, dubio 3; cresceret autem poena propter multas originalium culpas, ita ut excederet poenam alicuius peccati personalis. [f.492]

4<sup>a</sup> RATIO D. Thomae: a parentibus in filios non traducuntur accidentia spiritualia nisi quae ad speciem et naturam pertinent, sed

<sup>29</sup> ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali*, c.24 (al.23) PL 158,458s).

<sup>30</sup> S.THOMAS, 1<sup>a</sup>p., q.81, a.2 (*Ed.Vivès*, 2, p.512).

<sup>31</sup> PETRUS LOMBARDUS, *op.cit.*, 2, d.33, c.2. (*Ed.cit.*p.481s)



solum primum peccatum parentis primi pertinet ad materiam et speciem humanam; ergo illud tantum traducitur in posteros. Maiorem explicando probat quoniam licet aliqua accidentia corporalia quae non pertinent ad individuum traducantur in filios, tamen accidentia spiritualia proprio labore acquisita ut grammatica et philosophia non traducuntur in filios. Minorem probat quoniam, ut iustitia originalis pertinebat ad naturam et speciem in quam generatione traducenda fuisset ita primum peccatum quo amissa fuit ad speciem et naturam pertinet et quod alia peccata non pertineant ad naturam et speciem sed tantum ad individuum probat quoniam quamvis causant habituales inclinationem ad malum sed non amittunt aliquid quod pro tota specie collatum fuerit. — Huius rationis postrema pars, ne facile corruat, roborari debet ex iis quae dicta sunt in explicanda prima ratione Anselmi.

5<sup>a</sup> RATIO D. Bonaventurae: quoniam si omnium parentum peccata traducerentur in filios omnes filii nascerentur deteriores quam eorum parentes nati sunt, unde infelicitas esset maxima post numerosam progenitorum seriem generari, quod indignum est divina clementia. — Addunt aliqui filios quandoque ad virtutem propensos ex sceleratis parentibus nasci — sed hoc probat non traduci realem habitum voluntatis sed nihil probat de reatu morali.

Ad ea quae obiecta sunt RESPONDEO, quod attinet ad Augustinum, Leonem et Gregorium: hi Patres non de contagione culpae sed de communicanda poena loquuntur, ut colligitur ex Augustino locis citatis in 2<sup>a</sup> probatione conclusionis, et ex Gregorio eodem loco citato, quod etiam indicant eorum argumenta.

Ad primum cum confirmationibus RESPONDEO: illis testimoniis probatur poenam qua parentes puniuntur quandoque eorum filios vexare sed non probatur parentum culpam generatione transmitti, quod inde constat quoniam subditi quandoque poenas luunt peccati a principe commissi, ut populus Israel peste percusus propter Davidis culpam qui populum retulit innumerum, imo multi ex populo corruerunt propter unius Acham avaritiam; ipsae etiam res irrationales peccati incapaces traduntur igni et tamen haec omnia non contrahunt reatum culpae quamvis poenam paericipent. — Constat idem in filiis qui antequam parentes peccarent nati et adulti non poterunt eorum

culpam generatione contrahere et tamen morte plectuntur locis citatis in argumento.

Res haec nullam habet difficultatem quando filii adulti vel imitatione parentum vel dissimili aliquo [f.492v] peccato digni sunt poena: tunc enim Deus ex culpa parentum moveri potest ut non dimittat poenam quam alias dimitteret quamvis eam sine parentum culpa pro filiorum peccatis iuste desumere potuisset, de quo supra, sect. 1<sup>a</sup>, dubio 3, diffic.1; quod intelligendum est non solum de temporali sed etiam de aeterna poena quatenus Deus qui peccatorem potest efficaciter excitare et expectare donec poeniteat potest etiam illum protinus aeterna morte damnare qua potestate uti vult incitatus a peccatis parentum verum pueros antequam personalibus peccatis merantur poenam punire propter parentum peccata speciem habere videtur inclementiae sed quoniam res haec pertinet ad q.87, a.8, breviter eius decisionem colligam his PROPOSITIONIBUS:

1<sup>a</sup>. Beneficium quod filiis gratis confertur iuste negari potest propter peccata parentum, ac proinde propter peccata parentum Deus potest filiis divitias, honorem, valetudinem atque adeo vitam eripere, ut omnium Dominus.

2<sup>a</sup> PROPOSITIO: calamitates atque omnia tristia quae naturaliter consequuntur ex causis sive naturalibus sive liberis non impeditis a Deo, et praesertim quae nocumenta filiis proveniunt ex peccatis parentum iuste propter eorum peccata permittuntur, nam etiam sine parentum peccatis permitti possent.

3<sup>a</sup> PROPOSITIO: hic modus puniendi utilis est ad graviolem poenam parentum qui magis in filiis quam in se ipsis terrentur vel isti quidem sunt quod metus causa et quoniam ut Aristoteles ait filii sunt aliquid parentum ita D.Thomas hoc a.2 ad 1<sup>32</sup>, cum Augustino.

4<sup>a</sup> PROPOSITIO: hinc colligitur ratio ob quam praesertim in tertiam et quartam generationem puniantur quoniam ultra quartam generationem vix censentur esse consanguinei et quoniam parentes vivere solebant usque ad generationem quartam, posteriores autem generationes cum progenitores non videant non ita proprie puniuntur earum rebus adversis quamvis aliquando etiam mortuis parentibus filii

---

<sup>32</sup> THOMAS AQ., 1<sup>a</sup> p., q.81, a.2 ad 1 (Ed. Vivès, 2, p.512).

propter eorum peccata puniantur, ut constat in filiis et nepotibus Saulis in 3<sup>a</sup> confirmatione.

5<sup>a</sup> PROPOSITIO: quando filii qui puniuntur nullam habent personalem culpam credibile est ut plurimum Deum ex calamitatibus colligere aliquod bonum spirituale vel temporale filiorum atque in parvulis qui interficiuntur propter infidelitatem parentum non est exiguum emolumentum eripi ex periculis idolatriae vel aliorum peccat.<sup>493</sup>] catorum.

6<sup>a</sup> PROPOSITIO: quidquid adversum contigerit filio citra culpam illius, quanvis proprie sit poena comparatione parentis, caeterum comparatione filii non est proprie poena sed tantum res adversa.

7<sup>a</sup> nulli adimitur aliquid gratiae aut gloriae propter peccata parentum nullusque in alio saeculo sive in purgatorio sive inferno gravius punitur ob peccata parentum; hoc autem est quod Augustinus, epist. 75 ad Alicium, et cum eo D. Thomas, q.81, a.2 ad 1 aserunt, poena spirituali nullum puniri pro peccato alterius nisi culpae particeps fuerit<sup>33</sup>.

8<sup>a</sup> PROPOSITIO: Respondeo, potest filios honoribus atque divitiis privare ut severius animadvertat in parentes, sed non potest morte aut mutilatione corporis filios afficere quod quando factum legitur in Sacra Scriptura vel ex divino oraculo factum est vel per accidens contigit ut in bello iusto solent praeter intentionem innocentes interfici, alioqui erit iniustum.

Ad 2<sup>um</sup> argumentum RESPONDET Magister, 2, d.33, *Alioquin*<sup>34</sup>, ex Augustino in Enchiridio, cap.44<sup>35</sup>, et D.Thoma, q.82, a.2 ad 1<sup>36</sup>, in Sacra Scriptura numerum pluralem pro singulari poni quandoque ut Exodo 32 *fecerunt deos aureos*, cum tamen unicum vitulum conflaverint atque de illo dixerint *isti sunt dii tui Israel*, et Mt 2, *defuncti sunt qui quaerebant animam pueri*. —

RESPONDEO 2: quoniam originale unicum plurimorum personalium peccatorum causa est ratione concupiscentiae, ideo potestate dicitur esse plura peccata. —

<sup>33</sup> THOMAS AQ., 1<sup>a</sup> p., q.81, a.2 ad 1 (Ed.Vivès, 2, p.513).

<sup>34</sup> PETRUS LOMBARDUS, *op.cit.*, 2, d.33, c.2. (Ed.cit., 1, p.482)

<sup>35</sup> AUGUSTINUS, *Enchiridion*, c.44 (PL 40, p.253).

<sup>36</sup> THOMAS AQ., q.82, a.2 ad 1 (Ed.Vivès, 2, p.518).

3° in hebraeo dicitur esse singularis numerus *in peccato conceptus sum*.

Ad 3 RESPONDEO negando antecedens, nec enim ea erat adaequata ratio transmittendi ad filios originalem culpam, sed quoniam Adamus caput erat cui nomine posteritatis impositum fuit praeceptum servandi originalem iustitiam.

Ad 4 RESPONDET D.Thomas: illud quod habet aliquis ex se facilius in alium transfert si illud est traducibile; sed peccata personalia Adami et aliorum parentum non sunt traducibilia quoniam ad illa vitanda non obligabantur filii ut virtute continebantur in parentibus. — Inde solvitur confirmatio, nam propinquum agens secundum eas proprietates quae non sunt activae nihil agit in aliud sicut aer diaphanus non causat similem qualitatem in terram sibi propinquam; huiusmodi autem sunt merita et peccata proximorum parentum.

Ad 5 NEGATUR CONSEQUENTIA, et ratio discriminis est quoniam amissa gratia adhuc ma[f.493v]net in persona obligatio multiplicis praecepti quo violato multiplicatur reatus culpae in ordine ad varias actiones turpes; at vero postquam semel amissa est originalis iustitia et cum ea omne supernaturale donum non potest natura humana obligari in parentibus ita ut obligatio ad filios nondum genitos pertineat. Huius causam vidimus in explicanda 1<sup>a</sup> ratione Anselmi.

Ad 6 RESPONDEO peccatum adulterii quamvis filiis maiorem aliquam ignominiam afferat sed reatum culpae non transfert quoniam quamvis corruptio virtutis circa actum generandi conferat aliquid ut traducatur originale peccatum, infra sectione 5, dubio 7, nihilominus praecipua causa quasi efficiens deficit, quae est actus factus auctoritate capitis in quo omnes filii obligati fuerint. — Aliter respondet Bonaventura citatus.

Ad 7 RESPONDEO negando consequentiam, 1° quoniam ut culpa imputetur filiis debent in capite obligari et non poterant iterum obligari postquam semel amiserunt iustitiam, ut supra probatum est; at vero ut nobis Christus caput mereatur opus non est homines in Christo obligari ad aliquid. — 2°, quoniam Dei misericordia et liberalitas abundare debet magis quam rigor atque severitas iustitiae. — 3°, quoniam Christus Dominus propter personam divinam ex se dignus erat ut caput esset omnium hominum quoad omnes suas

actiones, sed Adamus auctoritatem capitis non habuit nisi ex divino decreto quod non debuit extendi ad alias actiones.

## Dubitatur 2

### Quae turpitudine primi peccati traducatur ad posteros

Suppono primum peccatum Adami quo sibi et posteris iustitiam amisit fuisse contra praeceptum abstinendi a ligno scientiae, ut concilia et Patres omnes supponunt, supra, sec.1, dubio 1, conclusione 3, et colligitur ex 2 Gen. et Paulo ad Romanos, 5 [19]. In quo peccato, praeter inoboedientiam et gulam fuit superbia, inordinatus amor uxoris et quoddam homicidii genus, quia se suosque filios in mortem praecipitavit Adamus, ut notat Augustinus in *Enchiridio*, cap.45<sup>37</sup>. Imo aliqui existimant fuisse etiam peccatum contra fidem. Denique si quae aliae turpitudines peccatorum inveniri possunt in primo peccato, de quibus videndi sunt Doctores relati sectione 1<sup>a</sup>, dubio 15 post conclusionem probatam, illud certum esse debet nullum peccatum mortale fuisse commissum prius tempore quam transgressio praecepti prohibentis fructum ligni; quae autem formalitates secundum rationem sint aliis priores nihil ad praesens refert. — Hoc supposito inquirimus utrum omnes turpitudines primi peccati traducantur ad posteros vel aliqua tantum; ex dictis sectione 1, dubio 10, conclusione 2, et dubio 11 et 15 constat nullam aliam turpitudinem transmitti ad filios praeter inoboedientiam circa servandam iustitiam originalem, superbia autem et contemptus divini praecepti et spirituale homicidium filiorum non aliter naturaliter transmittitur nisi ut virtualiter continetur in turpitudine inoboedientiae circa iustitiam conservandam

[f.494]

---

<sup>37</sup> AUGUSTINUS, *Enchiridion*, c.45 (PL 40, p.254).

**Dubitatur 3°**  
**Utrum peccatum mere internum, si fuisset primum**  
**traduceretur in posteros**

Ricardus, 2, d.30, a.1, q.2, videtur existimare non fuisse traducendum primum peccatum si foret mere internum, cui non nihil favet Ambrosius, cap.58 in Lucam, cuius verba refert Augustinus, 2 in Iulianum, col.7<sup>38</sup>. – Hoc testimonium explicuimus iam in sect.1, dubio 18, membro 1, sententia 3<sup>39</sup>.

Sed praeterea Zumel, q.81, a.2, disp.1, dicto 4, existimat de facto ita esse institutum a Deo pactum cum Adamo ut iustitia vel iniustitia ad posteros traducenda non penderet a solo peccato interiori sed simul ab exteriori actu ac proinde vi solius pacti quod de facto initum fuit, si Adamus interius consentiret in transgressionem praecepti et non prodiret in opus exterius, non transmitteret ad posteros culpam.

Pro qua sententia ARGUITUR 1° quoniam Deus peccata mere interna non solet punire exteriori poena, et videtur expedire ut regulariter ita fiat ut vitetur scandalum; quod si Adamus solo aliquo interiori peccato amitteret sibi et posteris originalem iustitiam manifestaretur eius inoboedientia interior in morte et sinistris propensionibus concupiscentiae quae sublata originali iustitia dominarentur. –

CONFIRMATUR quia Ecclesia excommunicatione, irregularitate aut alia poena non punit nisi peccata quae exteriori actu manifestantur.

2° PROBATUR quoniam Adamus erat caput exterius et visibile futurae prolis et dependenter a corporea generatione; ergo expediebat influxum illius in membra non a solo actu interiori sed simul ab exteriori derivari.

3°, quoniam ita magis consultum erit hominibus ut paucioribus occasionibus a prima felicitate possint corrui quod dignius est divina liberalitate.

4° quoniam fieri potuit ut Adamus per mortale peccatum interius amitteret gratiam retenta originali iustitia ut Eva antequam peccaret Adamus quamvis gratiam amiserit non amisit originalem iustitiam

<sup>38</sup> AUGUSTINUS, *Contra Iulianum Pelagianum*, l.2 (PL 44, 680s).

<sup>39</sup> ATG 65 (2002) p.189.

cuius signum est non erubuisse.

Nihilominus DICO 1<sup>o</sup>: de potentia absoluta Deus potuit pactum ita inire cum Adamo ut ex vi illius iustitiam ad filios transmitteret si non prodiisset in exteriorem actum peccati quamvis mere internum mortale committeret. PROBATUR quoniam in hoc nulla involvitur contradictio. [f.494v]

DICO 2<sup>o</sup>: de facto ita initum est pactum cum Adamo ut eius persona expolianda esset originali iustitia cum primum peccavisset actu interiori etiamsi non prodiisset in exteriorem actum, ac proinde amissio originalis iustitiae in Adamo prior tempore fuit quam exterior actio comedendi de ligno vetito sicut interius peccatum solet tempore praecedere exteriores actiones. Vide Augustinum, 14 De Civitate, cap. 13, *quod ante peccatum exterius Adami praeceserit mala voluntas*<sup>40</sup>.

RATIO CONCLUSIONIS est quoniam quocumque peccato mortali interiori, in eodem instanti amittitur gratia de potentia ordinaria; sed amissa gratia amitti originalem iustitiam probatur quoniam in sententia D.Thomae et nostra, supra, sect.1, dubio 7 et 8<sup>41</sup>, originalis iustitia erat idem ipse habitus gratiae coniunctum cum aliis donis quae modo non habet adiuncta, et illa omnia dona tanquam a radice procedebant a gratia, unde fit sublata gratia radicitus convelli omnia quae ad originalem iustitiam pertinebant.

Sed ut in omni opinione firmior sit ratio conclusionis suppono eos qui originalem iustitiam a gratia realiter distinguunt ita constituere originalem iustitiam ut illius praecipua pars sit habitus subiiciens voluntatem Deo, supra, sect.1, dubio 7, et omnes concedunt quocumque peccato mortali amittendum fuisse hunc habitum, quamvis dissentiant circa alios habitus appetitus sensitivi utrum protinus amittendi fuissent; ergo in omni opinione debet esse certum cum primum interiori peccato mortali peccavit ita amisisse vel totam vel praecipuam partem originalis iustitiae ut quamvis non procederet in opus exterius maneret illo habitu expoliatus.

Ulterius probo omnes partes originalis iustitiae amittendas fuisse quocumque peccato mortali, quoniam indignum erat ut Adamus dignus odio Dei et aeterno igne ageret vitam immortalem et ab omni

<sup>40</sup> AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, l.14, c.13 (PL 41, 420).

<sup>41</sup> ATG 64 (2001) p.241, 251.

molestia alienam, indignum praeterea ut Deus illi suos omnes affectus perfecte subiicere qui Deo debitam oboedientiam denegasset.

DICO 3<sup>o</sup>: verisimilius videtur de facto initum fuisse pactum cum Adamo ut ex vi illius quocumque peccato sive mere interiori sive exteriori amitteret originalem iustitiam non solum sibi sed etiam toti posteritati, haec autem vis pacti in eo consistit ut totum genus humanum obligaverit ad retinendam iustitiam originalem per eiusmodi puritatem quae omnia mortalia sive externa sive mere interna excluderet. — Conclusio PROBATUR quoniam indecens et incongruum videtur ut a primo capite infecto et inimico Dei derivetur in posteros amicitia et gratia [f.495] originalis quoniam perturbaretur status innocentiae et status naturae lapsae et utriusque ordinis sursum et deorsum miscerentur si Adamus lapsus ab originali iustitia inimicus Dei et dignus aeterno supplicio fuisset supremus gubernator totius naturae integrae et felicissimae ex eo nasciturae ita ut omnes homines in statu innocentiae tenerentur parere Adamo lapso.

Huius rationis probabilitas ut explicetur, OBIIICIO contra illam: 1<sup>o</sup> quoniam si Adamus peccavisset postquam genuisset filium non transmitteret ad illum originalem peccatum sed potius filius retineret originalem iustitiam quam ab instanti generationis acceperat, infra, dubio 15, et tamen Adamus tunc esset omnium hominum supremus gubernator. —

RESPONDEO: si Adamus, postquam genuisset filios amitteret originalem iustitiam, in primis non existeret praecipuum illud inconueniens quod inimicus Dei et dignus aeterno supplicio transmitteret gratiam et iustitiam originalem ut primum caput illius; deinde aliud inconueniens vitaretur, quoniam si Adamus genuisset Cain et postea committeret primum peccatum, reliqui filii postea nascituri contrherent originalem peccatum, ac proinde Adamus non esset gubernator totius naturae in statu innocentiae quoniam maxima pars naturae humanae corruisset; quod si fingas primum peccatum committi post omnes filios Adami genitos in gratia et perseverantes in illa tunc aliqui illorum essent iam aetate proveci quibus demandari potuisset gubernatio naturae integrae Adamo a paradiso excluso. —

OBIIICIO 2<sup>o</sup>: si Cain peccaret Adamo non peccante ille quamvis inimicus Dei et dignus aeterno supplicio, transmitteret ad filios gratiam, iustitiam originalem et ius ad gloriam, infra, dubio 6; ergo



non erit inconueniens idem Adamo concedere. —

RESPONDEO negando consequentiam: ut enim non est inconueniens a ministro peccatore et haeretico conferri gratiam si administretur verum baptisma, esset autem inconueniens si iniquum esset et exosum Deo primum caput a quo haec gratia baptismatis derivatur et cui per baptismi regenerationem fideles uniuntur ut membra; ita non est inconueniens proximos parentes quorum generatione unirentur homines primo capiti illius status esse inimicos Dei, foret autem inconueniens si primum caput a cuius obedientia vel inoboedientia pendebat tota natura esset iniustum et tamen iustitiam transmitteret. [f.495v]

2° PROBARIPOTEST conclusio quoniam si Adamus peccator amissa iustitia originali generaret filios originali iustitia praeditos sequeretur aut filios ab uberibus diuisos separandos esse a parentibus vel usque ad adolescentiam filios in statu innocentiae natos et educatos exsulare debuisset a paradiso cum parentibus, aut primos parentes amissa originali iustitia permansuros esse in paradiso, cuius rei inconueniens ostenditur illis verbis Gen.3 *ne forte sumat de ligno vitae et vivat in aeternum*. — Et quamvis simile aliquod inconueniens sequeretur si Eva sola peccaret, quoniam filii nascerentur in statu innocentiae, ut dicemus infra, dubio 7. nihilominus leuius inconueniens est foeminam exsilio dignam retineri in domo viri propter filios procreandos quam virum exsilio dignum retineri propter filios cum ex natura rei virum sequatur tota familia.

3° CONFIRMATUR quoniam si Adamus et Eva propter peccata patenterentur morbos, famem, sitim, aeris intemperiem, bestiarum incursus aliasque calamitates earum detrimentum perveniret ad infantes, vel generandos postea vel in utero inclusos vel sugentes ubera vel in pueritia indigentes ope parentum et quamvis simile aliud inconueniens foret si Adamus non peccaret nisi postquam filium aliquem genuisset originali iustitia praeditum, de quo infra, dubio 5; item si parentes proximi peccarent Adamo in gratia perseverante et tamen transmitterent ad filios originalem iustitiam, nihilominus aliquid interest hoc inconueniens in tota natura humana permittere aut in aliqua eius parte, divina enim providentia in rebus defectibilibus inconuenientia integrae alicuius speciei aut communitatis, aut alicuius integri status evitare solet quamvis similia permittat in maxima

individuum parte, de quo dicemus plura in dubio 6, fine; itaque praesens ratio inde sumitur quod non expediat totum humanum genus in gratia et originali iustitia perseverans pati incommoda quae ex Adami exsilio et lapsu redundarent.

Ad argumenta in principio proposita RESPONDEO ad 1: distinguo antecedens, nam poena quae directe et per se sit exterior non solet Deus punire peccata mere interiora, punit autem poena quae per se interior est, sed per accidens ostenditur exterius propter effectus inde resultantes, ut propter interiorem superbiam quibusdam viris sanctitate et virtute miraculorum illustribus quandoque negata sunt specialia auxilia gratiae et miraculorum unde fit exterius animadverti eos esse ad vitia [f.496] proclives, quod utile esse iis qui interno superbiae tumore laborant docet Augustinus, 14 De Civitate, cap.13, colligens ab exemplo Adami cuius interior superbia utiliter permissa est erumpere in exteriorem actum<sup>42</sup>, sic igitur Adamo propter mere internum peccatum potuit auferri gratia et originalis iustitia unde mortalis manebat et passionum atque bestiarum impulsibus obnoxius. – Ad confirmationem RESPONDEO aliam rationem esse de Ecclesia quae secluso foro confessionis non versatur nisi circa exteriora peccata saltem de potestate ordinaria.

Ad 2 RESPONDEO negando consequentiam quoniam ut in naturalibus humanum caput ita pendet ab anima invisibili ut illa sublata ex capite necessarium sit totum corpus interire, ita cum vita moralis et supernaturalis Adami amittenda foret quolibet interiori actu necessarium erat omnia membra similiter interire.

Ad 3, si illud non repugnaret aliis rationibus optabile esset utrum repugnat propter rationes superius adductas.

Ad 4 RESPONDEO negando antecedens, quin potius Eva in eodem instanti quo peccavit, gratiam et iustitiam originalem amisit, supra, sect.1, dub.6 ad 2<sup>43</sup>.

<sup>42</sup> AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, l.14, c.13 (PL 41,420).

<sup>43</sup> ATG 63 (2000) p.283.

**Dubitatur 4°****Utrum ad posteros transmitteretur primum peccatum Adami  
si violaret aliud praeceptum  
servata abstinentia ab arbore scientiae**

Negant iuniores aliqui quibus valde favet Alexander, 2 p., q.122, mem.3, a.3, ubi solum praeceptum abstinendi a ligno scientiae dicit pertinuisse ad universam naturam humanam, reliqua omnia praecepta fuisse personalia. —

PROBAT VERBIS Domini ad primum parentem quoniam audisti vocem uxoris tuae et comedisti de ligno de quo praecepi tibi ne comederes maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi, ubi *terrae spinas* humanae naturae peccatum originale et personale quae ex eo nascuntur intelligit Alexander et aliqui alii doctores; sed quamvis has voces ut sonant accipiamus eadem erit vis argumenti, quoniam maledictio terrae effectus et signum est amissae originalis iustitiae.

—CONFIRMATUR 1°, quoniam illa comminatio Gen.2 *in quacumque die comederis ex eo morte morieris*, pertinet ad omnium hominum interitum animae et corporis, ut Concilia et Patres intelligunt.

—CONFIRMATUR 2° quoniam Tridentinum, sess.5, can.1<sup>um</sup> ait primum parentem cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus incurrisse mortem quam Deus illi [f.496v] comminatus fuerat, et similiter loquuntur Patres.

— CONFIRMATUR 3° quoniam si eadem esset aliorum peccatorum poena nihil opus fuisset hoc praeceptum munire comminatione mortis; ergo aliqua peculiari poena mortis puniendus erat transgressor huius praecepti.

—CONFIRMATUR 4, verbis Basilii, sermone de ieiunio, quem sequitur Augustinus, 1° libro in Iulianum, col.8, *si ieiunasset a ligno Eva non isto indigeremus ieiunio*<sup>44</sup>; ergo quamvis alia praecepta violaret non amitteretur originalis iustitia filiorum.

—CONFIRMATUR 5, quoniam Patres solent asserere damnatum esse humanum genus gustu ligni vetiti, ut Gregorius Naziancenus, in

---

<sup>44</sup> AUGUSTINUS, *Contra Iulianum pelagianum*, l.1 (PL 44, 652).

sermone de Natali Domini apud Augustinum, 1° Contra Iulianum, col.17<sup>45</sup>.

– CONFIRMATUR 6, quoniam hoc magis ostenderet misericordiam Dei erga hominum genus ut ab unico tantum praecepto penderet nostra felicitas.

Huius et praecedentis quaestionis DECISIO nititur eisdem principiis, quapropter DICENDUM est

1° Deum de potentia absoluta potuit ita pactum inire cum Adamo ut ex vi illius iustitiam originalem ad posteros transmitteret quamdiu observasset praeceptum abstinendi a ligno scientiae quamvis alia praecepta calcaret. —

PROBATUR quoniam nulla involvitur contradictio.

DICO 2°: De facto ita ininitum est pactum cum Adamo ut ex vi illius amitteret suae personae gratiam et originalem iustitiam, quod probo eisdem rationibus quibus in praecedenti quaestioni probatum est dictum 2.

DICO 3°: verisimilius videtur toti humano generi amittendam fuisse gratiam et originalem iustitiam ex vi pacti de facto initi quamvis Adamus servaret praeceptum abstinendi a ligno scientiae si quodcumque aliud praeceptum mortaliter violaret. — Haec conclusio explicanda est et probanda eadem ratione qua dictum 3 praecedentis dubii.

Praeterea PROBATUR 2°, quoniam si Adamus primum peccatum committeret contra iustitiam vel religionem blasphemans, et uxorem percutiens et post aliquot dies ederet de ligno scientiae si primum illud peccatum non transit origine ad posteros necessarium foret hoc secundum transire, ac proinde non primum peccatum sed secundum transiret ad posteros, quod videtur esse contra Anselmi, Magistri, D. Thomae et omnium scholasticorum, supra, dubio 1 dicentium primum tantum peccatum Adami potuisse ad posteros transmitti, quod si ita indigerent ut idem ipsum peccatum edendi de ligno scientiae, quamvis foret secundo aut tertio loco commissum transmittendum esset, improprie loquerentur Doctores: deberent enim dicere solum peccatum contra praeceptum abstinentiae a ligno scientiae potuisse

---

<sup>45</sup> AUGUSTINUS, *Contra Iulianum pelagianum*, l.1, c.7 (PL 44,663)

transmitti, reliqua vero minime, idque sive [f.497] priora fuissent sive posteriora alia peccata.

Ad argumentum contrariae sententiae RESPONDEO has duas propositiones nullo modo inter se pugnare:

1<sup>a</sup> de facto causa mortis et originalis peccati fuit transgressio specialis praecepti abstinendi a ligno scientiae.

2<sup>a</sup> PROPOSITIO: ex vi pacti initi, si Adamus prius tempore violasset aliud praeceptum alia transgressio esset causa originalis peccati et mortis. — Hinc constat solutio primae et secundae confirmationis.

Ad 3<sup>am</sup> RESPONDEO quoniam praeceptum abstinendi a ligno scientiae prohibebat rem ex se bonam et ex sola prohibitione extrinseca turpem et quoniam vehementior futura erat inclinatio in hanc rem ex Dei libero decreto vetitam quam in alias quarum intrinseca turpitudine nota erat Adamo, propterea oportuit huic praecepto potius quam aliis adiungi expresam comminationem mortis quae comminatio omnibus aliis praeceptis tacite adiuncta erat.

Ad 4<sup>am</sup> confirmationem RESPONDEO: ut illa conditionalis vera sit subintelligenda sunt aliqua, certum namque est amittendam fuisse iustitiam originalem si Adamus comedisset etiamsi Eva ieiunasset quare subintelligendum est si Eva ieiunasset et Adamus nullum peccatum committeret nec propria sponte nec invitatus ab uxore non contraxisset culpam humanum genus.

Ad 5<sup>am</sup> confirmationem constat ex solutione principalis argumenti.

Ad 6<sup>am</sup> confirmationem RESPONDEO: concedimus illam congruentiam favere oppositae sententiae sed repugnare aliis maioris momenti quibus nostra sententia probata est.

### Dubatur 5

**Utrum primum peccatum, si post generationem committeretur  
transmittendum esset ad filios quos Adamus  
in iustitia originali perseverans genuisset  
Ubi etiam de reliqua posteritate**

Quaestio EXPLICATUR exemplo: si Adamus perseverans in statu innocentiae generaret Chain et postea peccaret Adamus quaeritur utrum Chain contraheret originalem culpam. — Affirmat Catherinus

libro *De casu hominis et peccato originali, versus finem* § vide et undecimo.

PROBAT 1º, quoniam Adamus, etiam postquam filios genuisset caput erat eorundem filiorum; ergo adhuc poterat illis amittere iustitiam originalem.

ARGUITUR 2º, quoniam quamvis Eva non committeret personale peccatum nihilominus amitteret iustitiam originalem propter peccatum Adami commissum postquam Eva ex Adami latere educta fuisset; ergo a fortiori filii iam geniti amitte[f.497v]rent iustitiam originalem.

3º, quoniam non solum propter crimina ante generationem commissa sed etiam propter ea quae post generationem committuntur a parentibus, filii nobilitatem et patrimonium amittere solent auctoritate legum.

4º, quoniam alias filii permanentes in originali iustitia et in statu innocentiae paterentur incommoda ex lapsu parentum redundantia, quod perfectissimo statui repugnare videtur urgetque argumentum praesertim si Adamus peccavisset postquam genuisset omnes filios quos generare potuit quoniam totum genus humanum in iustitia originali constitutum subiectum esset ut capiti homini lapso et pateretur incommoda, quod inconueniens esse duximus in dubio 3, conclusione 3ª.

Nihilominus sit CONCLUSIO: nullum peccatum transmitteret Adamus ad filios quos ante peccatum perseverans in originali iustitia genuisset. Ita Augustinus non obscure in id Ps 84 *non in perpetuum irascaris nobis*<sup>46</sup>, et epist. 23 ad Bonifacium, col.1, cuius argumenta afferentur infra. Idem intendit Glossa, Gen.3, dicens *In lumbis Adami fuit tota posteritas corrupta quia non est separata prius in loco vitae sed postea in loco exilii*, id est quoniam filii per generationem non sunt separati ab Adamo antequam peccaret sed post peccatum, ut explicat D. Thomas q.81, a.4 ad 1<sup>47</sup>.

Conclusionem tenet Durandus 2, d.33, q.1, nº.3<sup>48</sup>; Pererius libro

<sup>46</sup> AUGUSTINUS, in Ps.84 n.7 (PL 37, p.1072).

<sup>47</sup> (Ed. Vivès, 2, p.515).

<sup>48</sup> DURANDUS DE SANCTO PORCIANO, In II Sententiarum, d.33, q.1, n.3 (Antverpiar 1566, p.187).

5 in Genesim, disputatione de iustitia originali, q.3 fine<sup>49</sup>. Communiter iuniores, 1 2, q.81, a.5, ubi Zumel, dubio 2, Medina sub finem articuli <sup>50</sup>.

Ut RATIONE probem praemittendum est 1<sup>o</sup>: si Adam non peccaret filios nascituros esse in statu innocentiae iustitia originali praeditos, quod indicat Athanasius in libro De Incarnatione explicans illud Pauli ad Hebraeos 2, *qui multos filios in gloriam adduxerat*, id est in Adamo omnes eius posteros in gloriam immortalitate et honore condiderat. Idem supponit frequenter Augustinus et manifestius 14 De Civitate, c.10, dicens *quam felices erant primi homines, tam felix universa societas esset humana si neque illi malum quod etiam in posteros traiceret nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret quae damnationem reciperet*<sup>51</sup>.

Eandem veritatem clarius docuit Anselmus, libro 1 Cur Deus homo, cap. 18<sup>52</sup>; D. Thomas, 1<sup>a</sup> p., q.100, a.1 et 2<sup>53</sup>; Maior et Gabriel in 2, d.20; Marsilius, 2, q.19, a.3 post conclusionem 6 ad 2<sup>am</sup> dubitationem; Soto, 1<sup>o</sup> De natura et gratia, c.5 fine<sup>54</sup>; Pererius, lib.5 In Genesim, disp. de gratia, q.3<sup>55</sup>; et 4 expos. D. Thomae 1 p., q.100, ubi Molina, De opere sex dierum, disp.32<sup>56</sup>; Valentia, De statu innocentiae, disp.7, q.5, punto 3<sup>57</sup>. [f.498]

Idem fundamentum PROBATUR ex Arausicano 1, et Tridentino, ses.5<sup>58</sup>, ubi definitur Adamum suo peccato sibi et nobis amisisse originalem iustitiam et omnibus posteris nocuisse, quod verum non esset nisi ab Adamo in gratia perseverante propaganda esset originalis iustitia.

<sup>49</sup> BENEDICTUS PERERIUS, S.I., *Commentariorum in Genesim, l.5, q.3* (Lugduni 1599, p.582).

<sup>50</sup> BARTHOLOMEUS A MEDINA, O.P., *In 1 2, a.5* (Venetiis 1590, p.432).

<sup>51</sup> AUGUSTINUS, *De Civitate Dei, l.14, c.10* (PL 41,417).

<sup>52</sup> S.ANSELMUS, *Cur Deus Homo. L.1, c.18* (PL 158, 386).

<sup>53</sup> THOMAS AQ., *q.81, a.4, ad 1* (Ed. Vivès, 1, p.616).

<sup>54</sup> DOMINICUS SOTO, O.P., *De natura et gratia, l.1, c.5* (Salmanticae 1554, p.18).

<sup>55</sup> BENEDICTUS PERERIUS, S.I., *Commentariorum in Genesim, l.5, q.3* (Lugduni, 1599, p.555).

<sup>56</sup> LUD. DE MOLINA, *Comment. in 1 D.Th. partem, De opere sex dierum, disp.32* (Conchae 1592, p.2092).

<sup>57</sup> GREGORIUS DE VALENTIA, *Theologicarum disputationum, d.7<sup>a</sup>, q.5, puncto 3* (Lugduni 1603, col.1094).

<sup>58</sup> Dz 175, 789.

Atque idem aperte supponunt omnes qui in sectione 1 dubio 4<sup>59</sup> sentiunt originale peccatum esse privationem originalis iustitiae quam deberemus habere.

2° praemitto simul cum iustitia originali transmittendam gratiam iustificantem, unde Tridentinum citatum ait Adamum amisisse posteris iustitiam et sanctitatem; sed de connexionem vel potius de identitate gratiae et iustitiae originalis dictum est sect.1, dubio 7 et 8<sup>60</sup>.

Praemitto 3°, in casu praesentis quaestionis fingi non posse Deum propter praescientiam futuri peccati Adami negare filiis illius originalem iustitiam quam nondum amiserat Adamus: ut enim personae non aufertur gratia propter peccata quae praesciuntur futura donec de facto committantur ita nec naturae aut filiis; itaque si Adamus perseverans in iustitia generaret filium transmitteret ad illum originalem iustitiam etsi Deus certo praesciret futurum peccatum Adami.

His suppositis ARGUMENTORUM verbis Augustini in epistula 23: *semel perceptam Christi gratiam parvulus non amittit nisi propria impietate; sed iam ille parvulus genitus accepisset gratiam et originalem iustitiam; ergo illam non amitteret nisi personali delicto.*

CONFIRMATUR 1° quoniam *sine poenitentia sunt dona Dei et illius vocatio*, ad Haebreos 11,1, sine retractu et mutatione, et quamvis haec firmitas praecipue conveniat aeterno decreto Dei quod sine sui mutatione creata dona mutare solet, verum ea dona in quibus sanctitas et iustitia consistit sine personali culpa nunquam retrahuntur.

—Unde confirmatur 2°, quoniam quamvis gratia et iustitia in solo capite residens antequam ad membra perveniat non sit personale donum sed naturae tribuendum, nihilominus postquam alicui personae *inhaeret* [?] peculiaris iustitia et gratia, efficitur personale donum ac proinde pendere non debet a voluntate capitis.

2° PROBATUR ratione Divi Augustini in id Ps. 84 *non in perpetuum irascaris nobis, cuius verba sunt: Adam ille omnes nos eramus quia in Adam omnes moriuntur; non eramus iam nos sed eramus in Adam omnes quippe in illo fuimus ea enim peccata non pertinent ad filios quae faciunt parentes iam natis filiis: iam enim nati filii ad se*

<sup>59</sup> ATG 63 (2000) p.247.

<sup>60</sup> ATG 64 (2001) p.241, 251.



*pertinent, et parentes ad se pertinent*<sup>61</sup>, quibus verbis Augustinus docet filios iam natos, ut secundum esse physicum iam [f.498v] existunt extra potentiam generativam parentum realiter divisi ab illis ita secundum esse morale non existimandos unum aliquid cum parentibus ut velle censeantur quod illi volunt sed personalem filiorum voluntatem expectandam esse.

CONFIRMATUR 1<sup>o</sup>, quoniam ut vidimus sect.1. dubio 2 et dub. 15<sup>62</sup>, ideo omnes homines censentur in Adam peccasse quoniam omnes in lumbis eius erant, quae fuit congrua ratio ut voluntas Adami interpretaretur esse omnium hominum. —

CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, ex Augustino, epist.23 citata, ubi de parvulo baptizando ita loquitur: *ideo ex Adamo traxit quod sacramenti illius gratia solveretur quia nondum erat anima separatim in vivens id est altera anima de qua diceretur et anima patris mea est et anima filii mea est, Ezech 18; iam itaque cum homo in se ipso est ab eo qui genuit alter effectus, peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius: traxit ergo reatu quia unus erat cum illo et in illo quod traxit admissum est non autem trahit alter ab altero quando sua unoquoque propria vita vivente iam est, unde dicatur anima quae peccaverit ipsa morietur,*

In quibus Augustini verbis vide —3<sup>am</sup> CONFIRMATIONEM eiusdem argumenti, ex 18 capite Ezech. Quem locum Augustinus ita intelligit ut quoties anima filii per generationem divisa fuerit ab anima parentis non posit nisi personali peccato interire.

3<sup>o</sup> PROBATUR quoniam infantes baptizati non amittunt gratiam baptismi quamvis eos parentes idolatrae deorum sacrificiis contaminare conentur ut late Augustinus dicta epistola 23 explicans Cyprianum qui oppositum sensisse videbatur; ergo gratiam quam semel filii ab Adamo iusto accepissent nullo parentis peccato amitterent.

4<sup>o</sup> PROBATUR quoniam originale peccatum contrahitur in ipsa generatione et propagatione et dependenter ab illa ut dicitur infra, sect.5, dubio 4; ergo si tempore generationis nullum peccatum fuit quod transmitteretur nullum peccatum poterit transmitti etsi committatur postea. —

<sup>61</sup> AUGUSTINUS, in Ps 84 (PL 37, p.1072).

<sup>62</sup> ATG 63 (2000) p.226; ATG 64 (2001) p.302.

CONFIRMATUR 1° quoniam in semine ante animationem existit infectio a qua anima postea unienda contrahit originale peccatum, supra, sect.2, dubio 3<sup>63</sup>; sed nulla fuit infectio in semine si ante generationem non peccavit primus parens; ergo non est unde anima contrahat originale peccatum.—

CONFIRMATUR 2° verbis Tridentini, sess.6, cap.3, dicentis *nisi ex semine Adae propagati nascerentur non nascerentur iniusti cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur propriam iniustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur numquam iustificarentur.* —

Atque hoc exemplo Christi uti possumus ad eandem veritatem CONFIRMANDAM 3°. —

CONFIRMATUR 4° ex frequenti modo loquendi D.Thomae et omnium scholasticorum iustitiam aut peccatum ab [f.499] Adamo simul cum natura transmittendam esse et motionem qua Adamus ut caput movet reliqua membra sive ad iustitiam sive ad culpam esse generationem.—

5° PROBATUR quoniam filii quos Adamus in gratia genuisset non erant membra Adami peccantis postea sed tantum erant membra Adami existentis in gratia; ergo non contrahunt peccatum postea commissum. Antecedens probatur quoniam Adamus iustus generavit et non Adamus peccator; ergo Adamo ut capiti iusto uniti sunt per generationem filii. Explicatur et confirmatur exemplo morbi quem post generationem parentes contrahunt qui non potest ad filium transire quoniam filius a parente sano genitus fuit.

Haec omnia confirmantur explicata latitudine conclusionis quae quoniam plura membra complectitur eisdem rationibus sed IMPARICERTITUDINE cohaerentia opus erit singula persequi.

DICO 1°: filii geniti in originali iustitia, peccante postea Adamo non solum non contraherent culpam sed etiam non amitterent gratiam nec iustitiam originalem sive eadem res sive diversae fuerint. Ita constat ex fundamentis et rationibus praecedentibus .

DICO 2°: Haec doctrina certior est si filii pervenissent ad usum rationis et haberent actus supranaturales fidei, spei et charitatis quando Adamus committeret primum peccatum quoniam magis repugnat

---

<sup>63</sup> ATG 65 (2002) p.230.

ordini divinae providentiae gratiam auferre ab eo qui in praesenti tempore actus elicit quibus se disposeret ad recipiendos habitus supranaturales si eos antea non haberet, quanto magis ad retinendos quos habet.

DICO 3<sup>o</sup>: si quis filius antequam peccaret Adamus habuisset actus fidei, spei et charitatis quamvis cessavisset ab illis fere eadem ratio esset non amittendi iustitiam et gratiam propter primi parentis peccatum, praesertim quoniam licet Deus de potentia absoluta gratiam et iustitiam et omnes habitus supranaturales auferret adhuc maneret in illo homine quaedam extrinseca ratio benevolentiae et amicitiae propter praecedentes actus qui quamdiu per contrarium actum non revocantur hominem reddunt dignum peculiari amori Dei.

DICO 4<sup>o</sup>: filii qui pervenissent ad usum rationis et quamvis non exercerent supernaturales actus possent tamen illos exercere non contraherent peccatum ab Adamo postea commissum nec amitterent gratiam aut iustitiam, propter rationes allatas pro conclusione. — Quod si aliquis petat utrum saltem de potentia absoluta fieri posset ut filiis iam ratione utentibus imputaretur recens culpa parentum, RESPONDEO paulo probabiliorem esse impossibilitatem quoniam deficere videtur a recta ratione gubernandi et ab aequitate servanda. Vide dicenda infra, sect.5, dubio 6, memb.4.

DICO 5<sup>o</sup>: infantes ab instanti quo anima infunditur corpori usque ad rationis usum probabilius de potentia absoluta potuisse contrahere peccatum quod Adamus post [f.499v] illorum generationem committeret pacto cum Adamo inito ea lege ut filiotum caput esset quoad iustitiam originalem retinendam vel amittendam quamdiu filii nihil possent propria voluntate discernere circa honestum et turpe.

DICO 6<sup>o</sup>. Ex vi pacti de facto initi infantes ab instanti quo anima infunditur corpori non contraherent peccatum quod Adamus postea committeret propter argumenta pro conclusione generali. — Quare quod Augustinus supra dicebat *natis pueris* intelligendum est *conceptis*, quoniam antequam edantur in lucem pueri concepti dicuntur nati, ut loquitur Augustinus *quod enim in ea natum est*. Vide Magistrum 2, d.31, fine<sup>64</sup>.

<sup>64</sup> PETRUS LOMBARDUS, *op.cit.*, 2,d.31, c.7 (Ed.cit.1, p.473).

DICO 7<sup>o</sup>: Si Adamus non peccaret mortaliter nisi post generationem sed antequam fetus informaretur anima rationali, adhuc filius qui postea existeret non contraheret originale peccatum. Ita existimant Medina q.81, a.5 fine, et docti alii iuniores. PROBATUR quoniam licet in eo casu cessent 1<sup>um</sup> et 3<sup>um</sup> argumentum allatum pro conclusione, nihilominus 2, 4 et 5 vim suam retinent nam postquam semel decisum est semen ab Adamo iam filius non erat in Adamo ac proinde non reputabatur unus cum illo. —

CONFIRMATUR 1<sup>o</sup> quoniam quando animatur foetus homo ille coniungitur ut membrum cum Adamo, sed non ut membrum pro tempore quo animatur foetus sed ut membrum Adami pro tempore quo Adamus genuit sicut parvuli qui modo generantur efficiuntur membra Adami non secundum quod modo beatus est Adamus aut secundum quod iustificatus fuit post peccatum sed praecisse secundum quod peccavit.

CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>: quoniam si Adamus moreretur antequam foetus quem genuit informaretur anima rationali filius postea genitus non esset genitus ab Adamo prout mortuo sed ab Adamo prout vivo qui vivebat quando genuit et vitam communicavit; ita licet post generationem ante animationem foetus Adamus cadat ab innocentia filius ille non est genitus ab Adamo ut peccatore sed ut a iusto et integro.

CONFIRMATUR 3<sup>o</sup>, quoniam iustitia transmittenda erat cum natura humana sed ut filius recipiat naturam et vitam humanam sufficit Adamum vivere quando genuit licet non vixerit quando foetus accepturus erat vitam; ergo ut iustitiam transmittat sufficit iustum fuisse quando genuit licet iniustus sit quando foetus cum vita debet originalem iustitiam accipere.

CONFIRMATUR 4<sup>o</sup>, quoniam Adamus nihil agit naturali actione in foetum antequam animetur nisi quod necessaria consequutione resultat ex prima generatione; ergo filius postea animatus anima rationali non est fillius Adami nisi respectu temporis in quo erat iustus.

CONFIRMATUR 5<sup>o</sup>, quoniam in statu innocentiae foetus ante informationem animae rationalis haberet [f.500] suo modo incorruptionem et immortalitatem et quoddam veluti ius ut illi infunderetur anima rationalis iusta et innocens ut colligitur ex dictis sect.2, dubio 3 et 5<sup>65</sup>;

---

<sup>65</sup> ATG 65 (2002) p.230, 249.

ergo non erat mutandum illud ius propter sequens peccatum parentum.

His argumentis non solum confirmatur nostra sententia sed etiam solvuntur argumenta quibus oppositum contendit Zumel q.81, a.5, dubio 2, dicto 2.

DICO 4<sup>o</sup>: filii Adami geniti ante peccatum, quamvis Adamus postea peccaret transmitterent iustitiam originalem in omnem posteritatem. Haec conclusio ut paulo probabilior traditur contra Medina et Zumel citatos. PROBATUR quoniam propagationem originalis iustitiae non impedirent peccata filiorum Adami, ut ostendetur in dubio sequenti nec eam impediret peccatum Adami post generationem commissum quod potest probari instaurando rationes adductas in praecedenti dicto servata proportione inter nepotes et filios nam postquam filius Adami genitus est qui virtute in filio continentur nepotes non continentur iam in primo parente nec reputantur unum cum illo quantum ad proprietates quas habet post generationem filii sed nepotes reputantur unum cum Adamo secundum proprietates quas Adamus habebat quando genuit filium et contulit illi vim generandi. — Denique hoc videtur congruentius optimae providentiae quamvis de potentia absoluta alia lege potuerit iniri cum Adamo pactum, ut in dicto 5.

Sed OBIICIT Zumel parentes licet modo sint iusti generant filios peccato originali obstrictos propter primi parentis peccatum; ergo licet parentes geniti fuissent in originali iustitia Adamo postea peccante producerent filios in originali peccato. —

RESPONDEO negando consequentiam, quoniam in baptismo non confertur hominibus gratia ut per originem traducenda et in generatione quilibet homo accipit originale peccatum ut per originem traducendum; at vero filii qui geniti fuissent in statu innocentiae accepissent originalem iustitiam cum iure sibi annexo a quo nomen accipit ut scilicet per originem traducenda fuisset, quare iam nullo peccato potuisset Adamus renovare illud ius sicut non potest renovare originem filiorum aut nepotum quorum origo iam non est in potestate Adami.

Ad argumenta in principio proposita

RESPONDEO ad 1<sup>um</sup> distinguendo antecedens quoniam Adamus filiorum quos iam genuisset caput esset quoad gubernationem personarum, non vero quoad amittendam originalem iustitiam ut constat ex 5<sup>a</sup> ratione conclusionis.

Ad 2 RESPONDEO negando antecedens, de quo infra, sect. 5, dubio

6, mem.3 sub finem. [f.500v]

Ad 3 RESPONDEO: quaedam primogenia propter parentum crimina ante generationem commissa filii non amittunt sed quidquid sit de humanis legibus firmitus solet esse donum quod Deus semel contulit, quam quod ab hominibus confertur.

Ad 4 dictum est partim in dubio 3, conclusione 3, probatione, et dicemus plura dubio 6 fine; nunc illud animadvertendum est, si Adamus genitis omnibus filiis quos generare poterat committeret primum peccatum iam filiorum plerique fuissent maturioris aetatis qui possent non solum sibi sed etiam aliis consulere et exiguum vitae tempus restaret Adamo quare non esset inconueniens tam magnum ac si Adamus a principio peccante peccato mere interiori caput esset totius humani generis nascituri in statu innocentiae, ut supra dub. 3.

### Dubitatur 6

#### Utrum transmitteretur ad posteros peccatum cuiusque parentis qui genitus fuisset in originali iustitia

Hoc est si Adamus antequam peccaret genuisset Chain et Chain peccaret mortaliter, utrum illud peccatum transmitteretur ad filios quos post peccatum susciperet idemque petitur si aliquis nepos vel pronepos Adami genitus fuisset antequam generationis linea aliquo peccato vitiaretur et ille peccaret postea.

Praesenti atque superiori quaestioni nullus esset locus si vera esset sententia quam sub dubio asseruit Anselmus libro 1, *Cur Deus homo*, capite 18<sup>66</sup>, primos parentes si primam tentationem superassent confirmandos fuissent in iustitia originali cum omni posteritate ita ut omnes filii numquam peccare possent, quod, quantum ad filios valde innuit Augustinus, 1<sup>o</sup> Retractationum, cap.13 sub finem his verbis *si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura ac per hoc si et in parentibus et in filiis fecunditas felicitasque mansisset usque ad certum sanctorum numerum quem predestinavit Deus nascerentur homines non parentibus succesuri morientibus sed cum*

---

<sup>66</sup> ANSELMUS, *Cur Deus Homo*, I.1, c.18 (PL 158, 387).

*vincentibus regnaturi*, idem tenet expresse Scotus, 2, d.20, q.1<sup>67</sup>, et ut probabiliter tenendum Catherinus, libro de peccato originali, versus finem, § vide et 4°.

Verum contraria sententia supponitur ab Augustino, 14 De Civitate, cap.10, fine<sup>68</sup>, et traditur ex professo ex D. Thoma, 1<sup>a</sup> p. q.100, a.2<sup>69</sup>, ubi eam sequuntur communiter expositores: Durandus 2, d.20, q.5<sup>70</sup>; videndi sunt praesertim Molina, De opere sex dierum, disp.32<sup>71</sup>; Valentia, tomo 1, disp.7 De statu innocentiae q.4<sup>72</sup>.— Hanc opinionem congrua ratio persuadet, quoniam communitas integra viatorum ante visionis beatificae terminum non debet cofir[f.501]mari in bono quoniam haec confirmatio magis ad terminum quam ad viam pertinet quamvis singularibus personis posset hoc ex privilegio concedi.

Propterea hypothesis huius quaestionis contingere potuit de potentia ordinaria, scilicet Adamo non peccante aliquem filiorum peccare.—

1<sup>a</sup> igitur sententia asserit in eo casu traducendum fuisse ad posteros originale peccatum a quocumque parente peccante ante generationem. Ita expresse docet D. Thomas, De malo, q.5, a.4 ad 8<sup>73</sup>; Scotus, 2, d.32, q.unica, § ad argumenta 3 quaestionis<sup>74</sup>; Conradus, 1 2, q.81, a.2, notab.3<sup>75</sup>; Driedo, De captivitate et redemptione humani generis, tract.2, cap.2, p.4, in solutione 1<sup>mi</sup> argumenti positi contra conclusionem.— Huius sententiae argumenta supponunt quod quicumque hominum peccaret Adamo non peccante amitteret sibi originalem iustitiam et gratiam eisdem rationibus quibus in dubio 3, conclusione 2 probatum est Adamum quocumque peccato mortali amissurum fuisse originalem iustitiam suae personae. — Quo supposito probandum restat nullum hominem carentem originali iustitia potuisse illam ad posteros transmittere sed potius debuisse transmittere carentiam originalis

<sup>67</sup> DUNS SCOTUS, *In Secundum Sententiarum*, d.20, q.1 (Ed. Vivès 1893, p.116).

<sup>68</sup> AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, l.14, c.10 (PL 41, 417).

<sup>69</sup> (Ed. Vivès, I, p.616).

<sup>70</sup> DURANDUS DE SANCTO PORCIANO, *In II Sententiarum*, d.20, q.5, n.9 (Antverpiae 1566, p.165).

<sup>71</sup> LUDOV. DE MOLINA, *In primam p.D. Thomae disp.32* (Conchae 1592, p.2092).

<sup>72</sup> GREGORIUS DE VALENTIA, *Theologicarum disputationum*, t.1, disp.7, q.4 (Lugduni 1603, p.1085).

<sup>73</sup> THOMAS AQ., *De malo*, q.5, a.4 ad 8 (Ed. Vivès, 13, p.444).

<sup>74</sup> DUNS SCOTUS, *In Secundum Sententiarum*, d.32 (Ed. Vivès 1893, p.320).

<sup>75</sup> CONRADUS KOELLIN, O.P., *IN PRIMAM SECUNDAE*, q.81, a.2 (Venetiis 1589, p.639).

iustitiae propter progenitoris culpam quod est traducere originale peccatum.

Hoc igitur PROBATUR 1° quoniam quicumque homo haereditate accepisset a maioribus originalem iustitiam teneretur eam servare non solum sibi sed etiam omnibus filiis quoniam quilibet esse deberet suorum filiorum caput ut Adamus fuit omnium quoniam omnes futuri erant eius filii. — Confirmatur quoniam a regibus divitiae et honores feruntur alicui familiae ut non solum primi capitis sed etiam cuiusque filiorum crimem prodicionis aut perduellionis succedentis familiae dignitatem evertatur.

2° PROBATUR quoniam persona infecta communiter naturam inficit; ergo traducit naturam infectam. — Confirmatur quoniam illi homines generarent per concupiscentiam et concupiscentia in generatione ratio est traducendi originale peccatum, de quo in sect.5, dubio 7.

3° efficacius ARGUITUR quoniam si Chain lapsus ab originali iustitia per culpam personalem produceret filios originali iustitia praeditos sequerentur ea inconvenientia quae numeravimus dubio 3, conclusione 3, scilicet filios separandos esse a parentibus vel homines iustitia originali praeditos extra paradisum exulatueros fuisse nisi peccatores parentes manerent in paradiso.— Praeterea sequeretur filios in statu innocentiae participes fore calamitatum quae parentes peccatores paterentur.

DICO 1°: de potentia absoluta eo pacto conferri potuit originalis iustitia ut quicumque parentum teneretur non solum personali sed etiam communi suorum filiorum nomine iustitiam sibi et posteris servare et tunc peccatum cuiusque parentis traduceretur originaliter in filios si nullus progenitorum peccavisset prius. [f.501v]

DICO 2°: de potentia absoluta potuit eo pacto conferri originalis iustitia ut eam amitterent filii peccante quocumque parente ita tamen ut filii in parente et parens filiorum nomine non obligarentur ad servandam originalem iustitiam pro tota posteritate sed unusquisque tantum sibi teneretur conservare quo casu si Adamo non peccante peccaret alius homo cuius filii nec originalem iustitiam nec originale peccatum acciperent sed tantum negationem iustitiae originalis. Haec conclusio colligitur aperte ex iis quae de essentia originalis peccati



diximus tota sectione 1, praesertim dubio 2 et 3 et 15<sup>76</sup>, quoniam nullum malum habebit veram rationem culpae originalis nisi fuerit liberum et voluntarium in capite ita ut actualis volitio capitis moraliter censeatur fuisse omnium posterorum volitio libera; hoc autem contingere non potest nisi Deus tribuat voluntati Adami auctoritatem qua censeatur esse omnium hominum voluntas ita ut obligando illam obligati maneant omnes filii.

DICO 3<sup>o</sup>: verisimilius videtur de facto initum esse cum Adamo pactum ea lege ut si ille perseveraret in gratia totum genus humanum nasceretur praeditum originali iustitia etsi proximi parentes eandem iustitiam per culpas personales amisissent ac proinde nulla culpa alterius hominis ab Adamo transmitteretur in posteros etiamsi Adamus numquam peccaret. Hanc conclusionem insinuat Augustinus, 14 De civitate, cap.10, his verbis: *quam felices erant primi homines tam felix universa societas esset humana si nec illi malum quod etiam in posteros traicerent nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret quae damnationem reciperet*<sup>77</sup>, ubi diversus modus loquendi de peccatorum primorum parentum ac peccato aliorum hominum ostendit. Apud Augustinum solos primos parentes fuisse a quibus potuerit culpa in posteros emanare. — Citatur in eandem sententiam Augustinus, 14 De civitate, cap.12 sed praeter rem<sup>78</sup>. — Hanc sententiam sequuntur plures ex iunioribus ut Catherinus, opusculo De peccato originali prope finem §; vide et 4 Medina, q.81, a.5, dubio 2<sup>79</sup>, ubi Zumel, a.2, disp.2, dubio1, et a.5 fine; Valentia, tomo 2, disp.6, q.11, puncto 3<sup>80</sup>; Bellarmino, tomo 3, libro 4 De amissione gratiae, cap.13, fine<sup>81</sup>.

RATIONE PROBATUR 1<sup>o</sup> quoniam Adamus solus fuit caput totius posteritatis ut significare videtur communis modus loquendi sanctorum qui auctoritatem transmittendi originalem iustitiam in posteros saepe

<sup>76</sup> ATG 63 (2000) p.226, 242, ATG 64 (2001) p.302.

<sup>77</sup> AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, l.14, c.10 (PL 41, 417).

<sup>78</sup> ID. *Ibid.* c.12 (PL 41, 420).

<sup>79</sup> BARTHOLOMEUS A MEDINA, O.P., *In 1<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup>, q.81, a.5, dub.2* (Venetiis 1590, p.432).

<sup>80</sup> GREGORIUS DE VALENTIA, *Theologicarum disputationum*, t.2, disp.6, q.11, puncto 3 (Lugduni 1603, col.630).

<sup>81</sup> ROBERTUS BELLARMINO, *De amissione Gratiae*, l.4, c.13 (Ed. Vivès, t.5, p.371).

Adamo tribuunt sed aliis parentibus numquam. —

CONFIRMATUR 1° congruentia, quoniam decebat Adamum immediate et primo a Deo conditum primumque totius naturae stipitem hac dignitate reliquos homines antecedere. —

CONFIRMATUR 2° quoniam si Adamo perseverante in gratia Chain potuisset suam originalem iustitiam posteris eripere libere peccando iam vivente Adamo auctoritas capitis circa omnes nepotes transiret ad filios Adami quod videtur minuere dignitatem Adami ea namque maior erit si iustitia originalis ab eo in filios transmissa rata semper et inviolabilis perse[f.502]veret in generatione filiorum.

2<sup>a</sup> et firmior RATIO est, quoniam pactum ex vi cuius quamvis Adamus aliique progenitores non peccassent cuiusque hominis peccatum transiret in filios videtur esse alienum a divina misericordia et aequitate quoniam esset moraliter impossibile ut illi homines qui post duo vel quatuor millia annorum ab orbe condito nascerentur non contraherent originalem culpam, esset enim tot seculis et tot hominibus infallibile ut aliquis eorum vage peccarent mortaliter si poterant singuli toto vitae decursu peccare; durum autem videtur ut maximae parti humani generis fuerit pactum illud infallibiliter perniciosum non propter culpam personalem cuiusque hominis sed propter aliquam originalem infallibiliter futuram. — Confirmatur quoniam quicumque homines praedicto tempore nascituri recusarent illud pactum si ab illis exigeret consensus quoniam sibi nullam inde utilitatem sperabant.

Ad 1<sup>um</sup> argumentum RESPONDEO negando antecedens nam licet parentes capita essent filiorum quantum ad naturalem et politicam gubernationem ut modo sunt sed quantum ad originalem iustitiam amittendam filiis solus Adamus caput erat, ut dictum est.

Ad 2 RESPONDEO: nihil mirum si Deus sua dona liberalius quam homines conferat; sed praeterea inter homines contingit primogenitum ea lege fuisse institutum a rege ut quicumque illius familiae crimen commiserit sibi tatum amittat primogenium et ad filios eiusdem criminis minime conscios transmittat.

Ad 3 RESPONDEO: persona infecta inficit naturam sibi peculiarem sed naturam in communi et speciem non inficit nisi ea persona quae caput est totius communitatis. — Ad confirmationem: concupiscentia in generatione non est ratio traducendi originale peccatum nisi in quantum a peccato capitis proficiscitur quare deficiente peccato capitis

non potest originale peccatum transmittere.

Ad 4 diximus in dubio 3, concl.3, illa inconvenientia tolerari debere in aliqua parte naturae humanae quamvis concedenda non sint in universo humano genere. — Insuper Deus illi perturbationi occurreret prospiciens ne quid inde bonis et innocentibus detrimenti accideret quemadmodum in statu innocentiae animalia ferocissima hominis timore compescerentur ita sceleratis hominibus Deus timorem et reverentiam innocentum iniiceret ne contra eos auderent.

Quod si Deus filiis Adami in originali iustitia natis et postea peccantibus atque petentibus veniam per contritionem restitueret non solum gratiam ut modo sed etiam omnes partes iustitiae originalis quibus et appetitus sensitivus et corpus rationi perfecte oboediret facilius servaretur communitas hominum a perturbatione libera quamvis aliqui peccarent porro restituendam fuisse integram originalem iustitiam probabile videtur aliquibus ut Pererio, libro 5 [f.502v] In Gensim, disp. De iustitia originali, q.3 fine. In qua opinione asserenda sunt duo consequenter: — 1<sup>um</sup> Adamum propterea per poenitentiam non recuperavisse originalem iustitiam quoniam solus ille ut caput poterat eam irrecuperabiliter sibi et aliis amittere sed reliqui homines non poterant filiis eam adimere nec sibi adimere poterant facultatem recuperandi eandem iustitiam originalem — 2<sup>um</sup> est eiusmodi homini recuperantibus originalem iustitiam constare potuisse recuperationem gratiae evidentibus indiciis sicut antequam peccarent constare poterat illos nondum cecidisse. — Haec duo ambigua sunt sed non improbabilia.

### Dubitatur 7°

#### Utrum traduceretur originale peccatum si foemina peccaret viro non peccante

RATIO DUBITANDI est 1° quoniam peccatum originale contrahimus ex Adamo: in eo fuimus quando peccavit sed similiter fuimus in Eva peccante; ergo ab illa contraheremus culpam si sola peccaret..

2° quoniam a muliere initium factum est peccati et per illam omnes moriuntur; sed mors nulli hominum noceret nisi amissa prius originali iustitia per culpam; ergo mulier transmitteret suam culpam ad filios. —

Confirmatur quoniam Hieronimus et auctor commentariorum quae adscribuntur Ambrosio, ad Rom.5, *per unum hominem peccatum in mundum intravit* explicant per Evam; ergo ab illa traducitur peccatum in filios.

3<sup>o</sup>, quoniam non solum viro sed etiam foeminae imperata est abstinencia sub comminatione mortis; ergo de utroque intelligenda est mors eodem modo ut in unoquoque illorum tota posteritas interiret.

4<sup>o</sup>, quoniam Eva amisit originalem iustitiam antequam Adamus peccaret, supra sect.1, dub.6 ad 2<sup>82</sup>; ergo quamvis Adamus non peccaret transmitteret ad filios privationem originalis iustitiae.

5<sup>o</sup> quoniam mater generationi materiam ministrat, ex Aristotele 2 de generatione animalium, cap.1; sed materiam consequuntur mors et reliqui defectus; ergo Eva si mortalis esset filios generaret passibiles et mortales, sed hi defectus non sunt sine originali peccato; ergo transmitteret originale peccatum.

6<sup>o</sup>, adduci possunt ea omnia argumenta quae contendunt ex sola matre sine congressu viri contrahi originale peccatum quorum solutio constabit sect.5,dubio 6.

Vera decisio TRIBUS PROPOSITIONIBUS continetur.

1<sup>a</sup> quamvis Eva non peccaret Adamus suum pec[f.503]catum in filios transmitteret. —

2<sup>a</sup>, si Adamus non peccaret Eva suum peccatum non transmitteret ad filios sed eos generaret iustitia originali praeditos. —

3<sup>a</sup> Evae peccatum etiam Adamo peccante non transmittitur ad filios. Postremam propositionem tradit Anselmus, De conceptu virginali, cap.9<sup>83</sup>; sed omnes propositiones docet D.Thomas, q.81, a.5 c.<sup>84</sup>, ubi Conradus<sup>85</sup>, Caietanus et reliqui expositores; idem fere Albertus 2 p. q.107, mem.4, a.2, particula 1 et 3<sup>86</sup>; Alexander, 2 p., q.122, memb.3, a.2; Bellarmino, tomo 3, libro 4 De amissione gratiae, cap.8 ad 3<sup>87</sup> et

<sup>82</sup> ATG 63 (2000) p.283.

<sup>83</sup> ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali*, 9 (PL 158,442s).

<sup>84</sup> THOMAS AQ., q.81, a.5 c (Ed.Vivès, 2, p.515).

<sup>85</sup> CONRADUS KOELLIN, O.P., *In Primam Secundae*, q.81, a.5 (Venetiis 1589,p.644).

<sup>86</sup> B. ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., q.107, mem.4, a.2, particula 1 et 3 (Ed.Vivès 33 p.293, 296).

<sup>87</sup> ROBERTUS BELLARMINO, *De amissione Gratiae*, l.4, c.13 (Ed.Vivès, t.5, p.349).

cap.13<sup>88</sup>; Pererius libro 5 in Genesim, disp. De iustitia originali , q.3 fine<sup>89</sup>.

PROBATUR 1° ex Apostolo ad Romanos 5, dicente *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*; si autem matris peccatum derivaretur in posteros dicendum fuisset per duos homines peccatum in mundum intravisset scilicet per foeminam et virum nam quod per virum intravit nullus catholicus dubitare potest. — Cofirmatur ex Paulo 1 Cor.15 dicente *sicut in Adam omnes moriuntur*, non enim dicit ut potuit sicut in Eva omnes moriuntur.

PROBATUR 2° quoniam Concilia et Patres ruinam humani generis et amissionem iustitiae originalis Adamo adscribunt sed Evae non nisi quoniam suo consilio deiecit Adamum; sic Tridentinum, sess.5, canone 2, definit Adamum sibi et nobis perdidisse originalem iustitiam, et canone 4, ex Adamo contrahi originale peccatum; eodem modo loquuntur Concilia et Patres locis citatis sect.1, dubio 15<sup>90</sup> dum dicunt nos omnes in Adamo peccante peccavisse.

RATIONE PROBATUR quoniam quamvis de potentia absoluta Deus potuerit iustitiam originalem praebere dependentem ab oboedientia utriusque parentis ita ut utrumque nomine posteritatis ad illam servandam obligaret, nihilominus congruum fuit solum Adamum caput esse totius humani generis et ab illius tantum voluntate pendere filiorum felicitatem: 1° quoniam vir a natura constitutum est caput totius familiae ac praesertim uxoris, 1 Cor.11, et Ephes.4. — 2° quoniam vir naturali ingenio constantior est quam foemina et decori tenatior. — 3° quoniam in ordine ad generationem per quam originale peccatum et originalis iustitia traducenda fuit praestantior est vir quidquid sit de illa quaestione quam D.Thomas in praesenti tantum utrum foemina concurrat active aut pasive tantum. — 4° quoniam non est a muliere vir sed contra mulier a viro ex eius costa producta. Denique magis cosultum erat humano generi si illius felicitas ex unica solum voluntate penderet.

4° CONFIRMANTUR omnia quoniam si Eva suum peccatum trans

<sup>88</sup> IDEM, *Ibidem* (t.5, p.370).

<sup>89</sup> BENEDICTUS PERERIUS, *Commentariorum in Genedim, l.5, disp.3* (Lugduni 1599, p.584).

<sup>90</sup> *ATG 64 (2001) p.302.*

mittere potuisset ad posteros Adamo non peccante cum Eva priusquam Adamus peccaverit sequeretur inde Adamum nihil amisisse nobis quoniam Eva totum amisisset prius non solum sibi sed et [f.503v] nobis unde praeterea sequeretur originale peccatum non magis derivari ab Adamo quam ab aliis parentibus peccatoribus.

Ad argumenta in principio proposita

RESPONDEO ad 1<sup>um</sup> : ex Adamo contrahimus peccatum quatenus in eo fuimus ut in capite cuius voluntatem Deus voluit esse omnium filiorum quantum ad iustitiam originalem traducendam quo modo non fuimus in Eva; hoc autem fieri oportuit propter rationes adiunctas in probatione 3.

Ad 2 RESPONDEO: per Evam omnes moriuntur quoniam illa virum ad peccandum impulsit sed de ea dici non potuit quod de Adamo dictum est: in Adam omnes moriuntur, quoniam hoc proprium est illius qui omnium nomine peccat. — Ad confirmationem RESPONDEO illam expositionem communiter non solum a catholicis sed etiam ab haeticis refutari et adiunctae voces in genere masculino, scilicet *per unum hominem* in quo ostendunt sermonem esse de viro non de foemina, praesertim cum Paulus, 1 Cor 15 illum hominem quis sit explicet dicens *sicut in Adam omnes moriuntur*. Vide D.Thoma, 1 Cor 15, lectione 3<sup>91</sup>.

Ad 3 RESPONDEO primum soli viro abstinentia imperata fuit, Gen 2, foemina vero, Gen 3, eandem legem, ut sibi impositam serpenti retulit; unde constat aliquid peculiare fuisse in hac lege respectu Adami ut ille omnium nomine obligaretur sed Eva suo tantum nomine.

Ad 4, concesso antecedente, negatur consequentia: potuit enim foemina peccatrix et destituta originali iustitia filios suscipere in statu innocentiae nasciturus ut diximus in dubio praecedenti.

Propter argumentum 5 antiquorum quorundam opinio fuit Adamo perseverante in gratia filios Evae peccantis futuros esse mortales atque corporis calamitatibus obnoxios, liberos autem a peccato et nocumentis animi nisi sibi propria voluntate nocuissent. Ita Prepositinus et Altisiodorensis apud Albertum, 2 p., q.107, mem 4, particula 3<sup>92</sup>, quam

<sup>91</sup> THOMAS AQ., *1 Cor 14, lect.3* (Ed. Vivès, 21, p.35)

<sup>92</sup> B. ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., q.107, particula 3 (Ed. Vivès, 33, p.296).

opinionem sequutus fuit D.Thomas 2, d.31, q.1, a.2 ad 4<sup>93</sup>, ubi aliam adiungit rationem, quoniam ex Aristotele in 6 de animalibus, corpus non est nisi ex foemina, anima autem ex mari, non ita quod anima rationalis traducatur sed quoniam in virili semine est virtus formativa per quam ut in aliis viventibus producitur anima in homine saltem organizatur corpus et praeparatur ad introductionem animae rationalis quae a solo Deo producitur.

Hanc OPINIONEM ex professo refutat D.Thomas, q.81, a.5 ad 2<sup>94</sup>, quoniam immortalitas et impassibilitas in illo statu non erat ex conditione materiae sed ut ex fonte manabat a gratia quae erat in essentia animae, ut supra, sect.1, dubio 7 et 8<sup>95</sup>, unde manente gratia et originali iustitia manere deberet immortalitas. —

Efficacius CONFIRMATUR 1° Ex Concilio Arausicano can.2<sup>96</sup>, ubi statuit non posse mortem ad hominem transire sine peccato nisi contradicatur Apostolo dicenti *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors*. [f.504] — 2° Confirmat Albertus citatus ex Augustino dicente *iniustum est ut eos teneat poena quos ad poenam non obligat culpa*.

Addit praeterea Albertus: si Eva sola peccasset peccatum in illa sola remansisset et Deus de corpore Adami aliam mulierem fecisset per quam homines multiplicarentur, quam sententiam tribuit Anselmo sed Anselmus in libro De Conceptu virginali citato, cap.8<sup>97</sup>, ait *poterat Deus aliam facere mulierem*, non ait faciendam fuisse; sed de hoc infra sect.5, dubio 6.

---

<sup>93</sup> THOMAS AQ., *In Sententias Petri Lombardi*, 2, d.31, q.1, a.2 ad 4 (Ed.Vivès, 8, p.424).

<sup>94</sup> THOMAS AQ., *1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q.81, a.5 ad 2* (Ed.Vivès, 2, p.516)

<sup>95</sup> ATG 64 (2001) p.241, 251.

<sup>96</sup> Dz 175.

<sup>97</sup> ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali*, c.9 (PL 158, 443).

**Sectio 4**  
**DE NUMERO ET GRAVITATE**  
**ORIGINALIUM PECCATORUM**

**Dubitatur 1°**

**Utrum originalia peccata totidem sint quot homines**

Loquimur de omnibus et solis hominibus qui paternum genus ducunt ab Adamo; sed Beatissimam Virginem Deiparam intelligimus semper exceptam.

1<sup>a</sup> CONCLUSIO: originalia peccata totidem sunt quot homines. — Ut huius certitudo auctoritate et ratione constet distribuenda est in plures partes iam a nobis confirmatas quibusdam aliis quae vel in praesenti vel in sequentibus rationibus confirmanda restant. —

DUO igitur conclusionis MEMBRA: alterum homines non sunt numero plures quam originalia peccata; alterum in uno homine non sunt plura originalia ac proinde non sunt plura numero quam homines.

Circa 1<sup>um</sup> reiiciendus est error Piggii et Catherini dicentium culpam originalem unicam tantum esse, illam scilicet quae ab Adamo commissa est et non multiplicatur pro numero parvulorum quoniam illis nihil inhaeret quod habeat veram rationem culpae. — Contra quem disputavimus sect.1, dubio 1, conclusione 4<sup>98</sup>; nunc satis sit definitio Tridentini sess.5, can.3<sup>99</sup>, originale peccatum esse origine unum quoniam ex uno procedit sed omnibus hominibus inesse unicuique proprium; quo supposito firmum est 1<sup>um</sup> conclusionis membrum, scilicet homines non esse numero plures quam originalia peccata.

MEMBRUM 2, scilicet non esse in uno homine plura originalia peccata sed unicum, deducitur ex tribus propositionibus: 1<sup>a</sup> est, praeter primum peccatum Adami nullum aliud peccatum eiusdem vel aliorum parentum traducitur ad posteros: haec probata est sect.3, dubio 1. — 2<sup>a</sup> propositio, ex primo peccato Adami non omnem formalitatem malitiae transmittitur ad filios sed tantum transmittitur malitia formaliter una quae alias quasi rationes superiores malitiam complectitur modo explicato in sect.3, dubio 2. — 3<sup>a</sup> propositio quae in praesenti

<sup>98</sup> ATG 63 (2001) p.221.

<sup>99</sup> Dz 790.



examinanda restat haec est: utrum ex unico illo actu Adami et unica illius formalitate originale peccatum unicum in singulos homines traducatur. —

Altisiodorensis lib.2, tract.27, cap.6, existimat esse in eodem homine plura peccata originalia quoniam plures sunt pronitates ad peccandum, quamvis ea peccata sint aliquo modo unum quoniam eadem poena puniuntur quam [f.504v] poenam dicit esse virtute multiplicem quoniam diversis peccatis correspondet. — Eiusdem sententiae fuit Praepositinus apud Maiorem 2, l.30, q.1, a.3, a qua parum dissident qui in singulis hominibus tria peccata originalia constituunt in triplici parte hominis concupiscibili, irascibili et rationali quod multi existimabant tempore Guillelmi Parisiensis ut ille refert tomo 1, tract. De vitiis et peccatis, cap.6, col.3.

1<sup>um</sup> ARGUMENTUM est: unus et idem habitus non inclinatur ad contraria; sed peccatum originale unum et eundem hominem inclinatur ad contraria vitia; ergo peccatum originale non est unum sed multiplex. Maior probatur quoniam habitus inclinatur ut naturalis causa, natura autem non est indifferens ad multa sed determinata ad unum.— Confirmatur quoniam si omnes inordinati affectus provenirent ex una tantum radice originalis peccati in omnibus hominibus essent similes effectus inordinati.

2<sup>um</sup> ARGUMENTUM est quoniam unum peccatum non potest esse in subiectis realiter distinctis; sed originale peccatum est in voluntate, intellectu, appetitu sensitivo et aliis potentiis quae ab invicem realiter distinguuntur; ergo non est unum sed multiplex.

3, quoniam multae sunt poenae originalis peccati, scilicet carentia visionis Dei, ignorantia, morbi, mors, et aliae similes; ergo plura sunt originalia peccata.

Nihilominus sit 2<sup>a</sup> CONCLUSIO: in uno homine non est nisi unicum peccatum originale. Ita sensit Augustinus in *Enchiridion*, cap.44 et 48 et 51<sup>100</sup>, quem sequitur Magistrum in.2, d.33 § *alioquin* et sequenti<sup>101</sup>; et quamvis praecipue intendunt non traduci ad posteros peccata primorum parentum nec aliud peccatum praeter primum, nihilominus inde inferunt non esse plura peccata originalia in unoquoque hominum.

<sup>100</sup> AUGUSTINUS, *Enchiridion*, c.44, 48, 51 (PL 40, p.253-256).

<sup>101</sup> PETRUS LOMBARDUS, *op.cit.*, 2,d.33, c.2. (Ed.cit.1,p.482)

— Conclusionem aperte docent Guillelmus Parisiensis tomo 1, tract. De vitiis et peccatis, cap.6 initio; Albertus 2 p., q.122, mem.8; D. Thomas q.82, a.2<sup>102</sup>, ubi Conradus<sup>103</sup>, Caietanus et alii expositores; D.Bonaventura 2, d.30, a.2, q.2 prope finem<sup>104</sup>; Durandus d.31, q.3, corpore, fine, et d.33,q.2<sup>105</sup>; Maior, d.30, q.1, a.3, quamvis hi duo doctores ex falsis principiis circa essentiam originalis.

PROBATUR 1<sup>o</sup> quoniam Concilia et Patres loquuntur de originali peccato ut de uno. Vide praesertim Tridentinum tota sessione 5. — Quod si aliquando in plurali loquuntur vel agunt simul de pluribus hominibus in quibus sunt plura originalia vel utuntur ea figura sermonis quae explicata est sec.3, dubio, dubio 1, a.2.

PROBATUR 2<sup>o</sup> a priori, quoniam ratio formalis et materialis cuius peccata licet multa sint in alio genere, tamen in genere peccati unum sunt et in primis ratio formalis originalis peccati est privatio gratiae a qua manabant reliquae virtutes et dona supernaturalia visa supra, sectione 1<sup>a</sup>, dubio 7 et 8 et haec privatio una est quoniam unum tantum habitum gratiae excludit ab uno subiecto, scilicet essentia animae, aliae autem privationes aliorum habituum continentur virtute et inobliquo in hac privatione. —

CONFIRMATUR 1<sup>o</sup> quoniam etiamsi nomine originalis peccati velis complecti omnes pri-[f.505]vationes omnium donorum et habituum supernaturalium adhuc illae omnes unum erunt in ratione formali peccati quoniam rationem peccati habent ab uno eodemque actu Adami ratione cuius hic homo dignus est carere his omnibus habitibus; ergo tantum est unum originale peccatum in uno homine. —

CONFIRMATUR 2<sup>o</sup> Quoniam ab uno actu peccati unica tantum provenit ratio voluntarii et imputabilis et opositionis contra legem atque hoc modo intelligenda est ratio D.Thomae qua ex parte causae probat unitatem peccati originalis cuius rationis vis non sumitur ex communi ratione causae quasi efficientis sed ex eo quod originalis peccati essentia constituitur in ordine ad actum praeteritum ut

<sup>102</sup> (Ed. Vivès, 2, p.518).

<sup>103</sup> CONRADUS KOELLIN, O.P., *In Primam Secundae*, q.81, a.2 (Venetiis 1589, p.639).

<sup>104</sup> S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.33, a.2, q.2 (Ed. Quaracchi 1885, 2, 792).

<sup>105</sup> DURANDUS DE SANCTO PORCIANO, *In II Sententiarum*, d.31, q.3, c. (Antverpiae 1566, p.185); d.33, q.2 (p.187).

explicatum est sectione 1<sup>a</sup>.

3<sup>o</sup> PROBATUR a simili, quoniam hac ratione numeramus reatus peccatorum personalium ut quamvis includant carentiam gratiae charitatis et aliorum habituum nihilominus ea carentia sit unum habituale quando procedit ab uno actu peccati et duplex quando procedit a duplice actu peccati; sed carentia donorum supernaturalium in parvulo ab unico actu peccati provenit; ergo in eo est unicum peccatum quamvis in alio parvulo sit diversum peccatum ratione subiecti.

4<sup>o</sup>. Huic rationi proxima est illa qua utitur D.Thomas et Durandus citatus, quoniam accidentia unius speciei non multiplicantur nisi multiplicatis subiectis, ut Aristoteles docet in 5<sup>o</sup>. *Metaphysicorum* [1.2]; sed peccatum originale unius speciei est quoniam eodem modo imputabile est et turpe et contrarium legi divinae; ergo est unum numero in uno homine. — Quam rationem limitare debemus ut vim habeat supposita unitate formae extrinsecae a qua denominatio provenit, constat enim peccata habitualia personalia esse numero plura in eodem homine etiamsi non distinguantur specie ut si plura furta commiserit, itaque denominationes seu relationes rationis ad actus reales multiplicantur in eodem subiecto multiplicatis actibus sed supposita unitate actus non multiplicantur nisi multiplicatis subiectis.

Venio ad materialem rationem originalis peccati quae est ignorantia et concupiscentia quae quamvis inordinationem multarum potentiarum complectantur nihilominus una est in ratione infirmitatis et inordinationis cuius ratio traditur a D.Bonaventura et Conrado citatis, et Ruardo articulo 2 contra Lutherum prope finem propos. 8<sup>106</sup>, sed explicatur magis a D.Thoma 2, d.33, q.1, a.3<sup>107</sup>, exemplo infirmitatis quae ita potest esse in multis membris eiusdem corporis ut aegritudo cuiusque membri non proveniat ab aegritudine alterius nec omnes ab aliqua communi aegritudine totius corporis atque eiusmodi aegritudines erunt multae quamvis sint in partialibus subiectis, si vero multorum membrorum aegritudo proveniat ab aegritudine alicuius partis principalis ut cerebri aut cordis tunc unica tantum erit aegritudo licet pro varietate membrorum varios defectus causet: sic igitur quoniam

<sup>106</sup> RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum, prop.8* (Lovanii 1565, p.88).

<sup>107</sup> THOMAS AQ., *In II Sententiarum, d.33, q.1* (Ed. Vivès, 8, 448).

intellectus, voluntatis, appetitus sensuum et omnium aliarum potentiaram inordinatio provenit ut a radice a privatione gratiae in anima, ideo una est inordinatio et una pars materialis peccati originalis.

PETET aliquis utrum de potentia absoluta fieri possit ut multa originalia diversa specie vel numero [f.505v] transmitterentur ad filios. — RESPONDEO 1<sup>o</sup>: supposito unico pacto et unico actu transgressionis non possunt de potentia absoluta multiplicari originalia peccata quoniam Deus non potest multiplicare mala sed tantum ea permittit quae ex liberis actibus nostris consequuntur sed ex unico actu peccati nomine posteritatis commisso non possunt consequi plura originalia peccata ut nuper probatum est. —

RESPONDEO 2<sup>o</sup> si Deus plura praecepta dedisset pro diversis donis supernaturalibus servandis et haec praecepta pluribus actibus peccatorum violarentur ab Adamo vel a pluribus parentibus tunc plura essent originalia peccata distincta numero et aliquo modo specie distincta quam distinctionem non vacat explicare. Vide quae diximus sect.3, dubio 1, dist.1.

Ad argumenta oppositae sententiae RESPONDEO: ad 1<sup>um</sup> respondet D.Thomas q.82, a.2 ad 2<sup>108</sup>, unus habitus non potest directe et per se inclinare ad contraria sed indirecte et per accidens removendo prohibens sicut sublata anima elementa quibus corpus constabat tendunt in contraria loca et contrariis qualitatibus alterantur; sic ablata originali iustitia singulae potentiae in propria obiecta sine freno feruntur. — Ad confirmationem dicetur dubio sequenti ad 1.

Ad 2 RESPONDEO distinguendo antecedens, nam unum peccatum potest esse in pluribus subiectis realiter distinctis si illa subiecta sint diversae potentiae eiusdem hominis et illarum omnium inordinatio proveniat ex una radice et unico actu sed in diversis subiectis prorsus distinctis ut Petrus et Paulus distinguuntur erit diversum peccatum.

Ad 3 multiplex poena originalis peccati reducitur ad unitatem eodem modo quo peccatum originale quoniam ex una radice provenit quaecumque poena, sublato enim iure ad visionem beatificam sublata est scientia, subiectio appetitus, et immortalitas.

RESPONDET 2<sup>o</sup> Durandus non esse inconveniens uni culpae multi-

<sup>108</sup> THOMAS AQ., 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q.82, a.2 ad 2 (Ed.Vivès, 2, 518).

plicem respondere poenam si omnium poenarum collectio non superet gravitatem culpae, et huiusmodi sunt praedictae poenae originalis peccati.

### Dubitatur 2°

#### Utrum peccatum originale sit aequaliter in omnibus

Inaequalitatem probare videntur quae sequuntur argumenta:

—1<sup>um</sup> quoniam originale peccatum vel est concupiscentia et ignorantia vel certe est illarum causa; sed concupiscentia et ignorantia in diversis hominibus est inaequalis; ergo etiam peccatum originale. Minor probatur quoniam quidam sunt prorsus stolidi, alii ingenio tardi, alii acuti; praeterea diversi homines ad diversa et inaequalia vitiorum genera proni sunt, insuper ad eadem vitia quidam vehementius quam alii incitantur, ac denique idem homo in diversis temporibus inaequales vires concupiscentiae experitur, imo quandoque nullas ut recens natus.

CONFIRMATUR quoniam inaequalitas poenae et effectus indicat inaequalitatem culpae et causae; sed poena et effectus peccati originalis est passibilitas et mortalitas quae inaequales sunt quoniam homines qui ab exordio mundi proprius aberant vita longe [f.506]va et bona valetudine utebantur et nunc quidam gravius quam alii premuntur infirmitatibus et inmatura morte oprimuntur.

2° quoniam originale peccatum est quaedam inordinata dispositio animi sicut aegritudo est inordinata dispositio corporis; sed aegritudo recipit magis et minus; ergo etiam peccatum originale.

3° quoniam peccata habitualia personae inaequalia sunt quamvis consistant in privatione totius gratiae; ergo peccata originalia poterunt esse inaequalia quamvis consistant in privatione totius iustitiae.

4° quoniam ex Augustino et aliis Doctoribus infra, sect.5, dub.7, libido parentum transmittit originale peccatum; sed libido parentum in generatione non est aequalis; ergo inaequale peccatum originale transmittit. — Confirmatur quoniam saltem in eo filio qui plures progenitores habuit gravius erit originale peccatum quam in eo qui fuit filius aut nepos Adami quoniam a libidine plurium parentum infectam carnem accipit.

Nihilominus sit CONCLUSIO: originale peccatum aequale est in omnibus hominibus tam quoad formale quam ad materiale, id est non solum privatio iustitiae sed etiam concupiscentia et fomes aequalia sunt in omnibus quod est ex ratione originalis peccati, ut infra explicabitur: ita docet Anselmus, *De conceptu virginali*, cap.21 et 26<sup>109</sup>; Guillelmus Parisiensis, tomo 1 de vitiis et peccatis, cap.6; Altisiodorensis, lib.2, trac.27, cap. ; Albertus, 2 p., q.108, fine<sup>110</sup>; Alexander, 2 p., q.122, mem.7, a.6 et fusius mem.8; D.Thomas, 2, d.32, q.1, a.3, et hic q.82, a.4<sup>111</sup>, ubi Conradus, Caietanus et alii expositores; D.Antoninus 1 p., tit. 8, cap.1, § 1<sup>112</sup>; Scotus 2, d.32 prope finem<sup>113</sup>; Ricardus d.31, a.2; Maior d.30, q.1 fine; Marsilius q.19,a.5. — Colligitur ex Magistro 2, d.32 fine<sup>114</sup>, affirmante aequalitatem poenae in alia vita.

Huius conclusionis Anselmus RATIONEM reddit cuius vim magis explicuit D.Thomas, quoniam in ratione formali originalis peccati duo sunt: 1<sup>um</sup> est defectus originalis iustitiae, de quo diximus sect.1, dubio 4 et sequentibus<sup>115</sup>. 2<sup>um</sup> est relatio cuius defectus ad peccatum primi parentis, de qua relatione dictum est sect.1, praesertim dubio 12, concl.2<sup>116</sup>. Et quidem privationem originalis iustitiae non suscipere magis et minus sed semper aequalem in ratione carentiae probatur quoniam privationes quae prorsus formam excludunt ut mors, non suscipiunt magis et minus quod attinet ad exclusionem formae, sed originale peccatum prorsus excludit originalem iustitiam; ergo, quod attinet ad carentiam illius non potest esse inaequale.

Sed quoniam contingit privationes prorsus excludentes formam inaequales esse propter inaequale debitum habendi formam et inaequale impedimentum illius qua ratione peccata personalia sunt inaequalia quamvis totam gratiam et charitatem excludant, quoniam [f.506v] gratia et charitas obligabant magis aut minus ad vitandum

<sup>109</sup> ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali*, 23(al.21), 27(al.26) PL 158, 457, 461).

<sup>110</sup> ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2, q.108 (Ed. Vivès, 33.p.307s).

<sup>111</sup> THOMAS AQ., *In II Sententiarum*, d.32, q.1, a.3; 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q.82, a.2 (Ed. Vivès, 8, p.434; 2, p.518).

<sup>112</sup> D. ANTONINUS, O.P., *Repertorium*, 1 p., tit.8, § 1 (1629, p.96).

<sup>113</sup> DUNS SCOTUS, *In Secundum Sententiarum*, d.32 (Ed. Vivès 1893, p.320).

<sup>114</sup> PETRUS LOMBARDUS, *op.cit.*, 2, d.32, c.8. (ed.cit. 1, p.479)

<sup>115</sup> ATG 63 (2000) p.247...

<sup>116</sup> ATG 64 (2001) p.284.

peccatum gravius aut levius quo excluduntur, propterea ut integra sit ratio quae probat inaequalitatem originalium peccatorum subiungit D.Thomas aequalem esse relationem omnium originalium ad primum peccatum Adami ac proinde aequale esse in omnibus hominibus debitum restituendi iustitiam et aequalem violationem illius; quod autem haec relatio aequalis sit probatur quoniam relationes non suscipiunt magis aut minus nisi per accidens variato fundamento vel termino, sed terminum quem respiciunt omnia originalia est idem numero peccatum Adami, et fundamentum est homo naturali generatione ab Adamo descendens, in quibus nulla est inaequalitas; ergo relatio ex illis resultans aequalis est.

2<sup>a</sup> RATIO est quoniam qui aequaliter peccant actuali peccato aequalem reatum culpae contrahunt ex actu; sed omnes homines aequaliter peccaverunt peccato Adami; ergo omnes aequaliter contrahunt culpam originalem. Maior constat quoniam tota gravitas reatus culpae consistit in eo quod imputetur actus peccati quasi moraliter permanens, supra sec.1, dubio 14; minor autem probatur quoniam idem numero actus peccati fuit in quo omnes peccaverunt et omnes homines aequaliter continebantur in Adamo ut in capite totius humanae naturae.

3<sup>o</sup> PROBAT D.Thomas, dicta d.33, Alexander et alii citati quoniam poenae magnitudo respondet gravitati culpae; sed poena aequalis est in omnibus qui descendunt cum solo originali peccato; ergo culpa originalis aequalis est in illis. Minor probatur quoniam omnium poena est carentia divinae visionis. —

Sed OBIICIES: carentia divinae visionis est poena inaequalium peccatorum personalium; ergo poterit etiam esse poena inaequalis respectu diversorum peccatorum originalium. —

RESPONDEO: carentia divinae visionis est poena inaequalis non praecisse ratione sui sed propter maiorem indignitatem videndi Deum et maius impedimentum quod secum affert peccatum gravius unde sequitur maius ignominia maiorque tristitia, ut explicatum est supra, q.73, a.2, dubio 4 fine; horum autem inaequalitas nulla est in carentia visionis qua punitur originale peccatum.

Venio ad probandam aequalitatem in parte materiali originalis peccati quae est ignorantia et concupiscentia in qua observandum est discrimen ab aequalitate rationis formalis nam ratio formalis peccati originalis ita aequalis est ut nec per se nec per accidens nec in ratione

specifica nec in numerica inaequalitatem admittat; sed ignorantia et concupiscentia inaequalitatem admittunt in individuo et per accidens ratione aetatis, complexionis, consuetudinis, amicorum, occasionum, inopiae supernaturalis auxilii aliarum circumstantiarum; caeterum ignorantia et concupiscentia per se loquendo ut sunt pars materialis originalis peccati in omnibus aequales sunt nam ex ratione originalis peccati provenit potentias hominis solutas vinculo originalis iustitiae quae solutio omnibus hominibus aequaliter convenit inde autem provenit potentia fortiores aut vehementius incitatas ab obiectis et circumstantiis vehementius moveri contra rationem et magis errare [f.507] sive in cognoscendo sive in appetendo, quod optime explicat q.82, a.5, et 2, d.32, q.1, a.3 c Guillelmus Parisiensis, Alexander et alii citati.

Hinc constat solutio primi argumenti nam ignorantia et concupiscentia per se loquendo ut sunt pars materialis originalis peccati aut effectus illius aequales sunt quamvis per accidens sint inaequales.

— Ad confirmationem RESPONDEO similiter passibilitatem, mortalitatem et alios defectus formaliter ut sunt poena originalis peccati esse aequales; ceterum per accidens, ratione complexionis, locis, temporis et aliarum circumstantiarum esse inaequales ut si dicas exilium ab urbe aequalem poenam esse omnibus consciis eiusdem facinoris sed per accidens esse maiorem poenam valetudinariis aut gravi egestate laborantibus.

Ad 2 RESPONDEO ex D.Thoma: distinguo maiorem, nam aegritudo si aequaliter excludat principium vitae per aequale impedimentum illius erit aequalis, alioqui erit inaequalis; et originale peccatum aequaliter in omnibus excludit principium vitae scilicet gratiam et iustitiam originalem et per aequale impedimentum illius scilicet per ordinem ad peccatum Adami in eius posteris moraliter perseverans et propterea aequalis est in omnibus infirmitas originalis peccati.

Ad 3 RESONDEO: peccata personalia inaequalia sunt propter inaele impedimentum gratiae quo violatur maius debitum ex gratia et charitate perfectum; haec autem inaequalitas non existit in originali peccato, ut dictum est in prima probatione conclusionis.

Ad 4 dicitur infra sec.5, dubio 7, originale peccatum non transmitti propter libidinem actualem parentum sed propter carentiam iustitiae.



— Propter confirmationem Magister sensisse videtur magis infectam esse filiorum quam parentum carnem, sed de hoc diximus satis sect. 2, dubio 5 ad 3<sup>117</sup>.

### Dubitatur 3

#### Utrum peccatum originale sit levius quocumque peccato personali

1<sup>o</sup>, certum est originale peccatum esse extensive gravius quocumque peccato personali quoniam peccatum originale totum genus humanum afficit sed peccatum personale unicam personam duntaxat. Ita docuit D. Thomas 3 p., q. 1, a. 4 c<sup>118</sup>, et cum eo communiter theologi. Consonat Hugo de Sto. Victore, lib. 1 de sacramento fidei, pars 7<sup>a</sup> fine, dicens originale peccatum sceleris *tanto gravius fuit quanto magis prae caeteris omnibus naturam ipsam mutare potuit*<sup>119</sup>, quamvis haec verba referri possint ad intensivam gravitatem peccati quod fuit in Adamo, de quo similia docet Magister 2, d. 33 § *Hic quaeri*<sup>120</sup>.

Quod si OBIICIAS Adami peccatum personale perdidit universum genus humanum ergo illud fuit extensive non minus grave quam peccatum originale. —

RESPONDEO distinguendo antecedens [f.507v] nam peccatum personale quod fuit in Adamo perdidit universum genus humanum quasi causa efficiens peccatorum originalium, non quasi ipsum peccatum inhaerens omnibus hominibus, et propterea fuit intensione et virtute gravius, non extensione quoniam peccatum personale Adami non inhaeret universis hominibus quibus inhaeret peccatum originale.

OBIICIAS 2<sup>o</sup> quoniam unicum originale peccatum unum tantum hominem inficit et omnia originalia omnes homines sed eodem modo unicum personale peccatum unum tantum hominem inficit, sed collectio omnium personalium peccatorum inficit omnes homines, ergo

<sup>117</sup> ATG 65 (2002) p. 258.

<sup>118</sup> THOMAS AQ., 3 p., q. 1, a. 4 c (Ed. Vivès, 4, p. 571).

<sup>119</sup> HUGO DE STO. VICTORE, *De Sacramentis Christianae Fidei*, libro 1, p. 7<sup>a</sup> (PL 176,

306).

<sup>120</sup> PETRUS LOMBARDUS, *op. cit.*, 2, d. 33, c. 3. (ed. cit., p. 483).

nulla est ratio maioris extensionis in originali peccato quam in personali. —

RESPONDEO negando consequentiam quoniam collectio omnium originalium est quasi per se coniuncta et per modum unius cum primo peccato Adami et propterea illi convenit per se maior extensio, peccata autem personalia per accidens contingunt omnibus hominibus quod si aliquam habent coniunctionem per se ea provenit ex originali peccato. Consonat Caietanus 3 p., q.1, a.4.

De gravitate extensiva nihil amplius, nam quae sequuntur agunt de gravitate intensiva qualis est illa qua fornicationem superat adulterium.

2º: igitur certum est peccatum originale levius esse non solum peccato personali Adami, ut docuit Anselmus, *de conceptu virginali*, cap.21<sup>121</sup>, sed etiam quocumque peccato mortali etiam minimo in eo genere quod demonstrant rationes quibus infra probabitur quodlibet peccatum veniale personale gravius esse peccato originali, quae rationes circa peccatum mortale personale non patiuntur calumnias quas circa veniale peccatum facilius esset obiicere. Porro de differentia quasi specifica inter peccatum originale et quodlibet peccatum personale habituale praesertim Adami et de excessu gravitatis dictum est sec.1, dubio 11<sup>122</sup>.

3º: DIFFICULTAS est utrum originale peccatum sit levius quam veniale non solum ex genere sed etiam comparato cum levissimo quocumque veniali in particulari.

In quo Guillermus Parisiensis tomo 10, tractatu de vitiis et peccatis cap.8 quod incipit de mensura, non comparat in ratione culpae quoniam expresse asserit originale peccatum non esse proprie culpam, qui error impugnatus est sec.1, dubio 1, conclusione 4. Comparans autem in ratione mali nocivi respondet his fere verbis: originale peccatum laedit proprium subiectum incomparabiliter magis quam laedit veniale peccatum quoniam originale peccatum est morbus profundatus et difusus in totum hominem adhaerentia perpetua nisi divina virtus curaverit, veniale vero sicut pustula levissima quae cito curatur et transit. Suarez,

---

<sup>121</sup> ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.22 [al.21] (PL 158, 452).

<sup>122</sup> ATG 64 (2001) p.272.

3 p., q.1 in commentario ad a.4 §<sup>123</sup>, ita loquitur: simpliciter maius malum est originale peccatum quam veniale quoniam inducit inimicitiam quae sine dubio est maius malum et ex contextu coniiicio mentem illius esse ut originale non solum excedat in communi ratione mali sed [f.508] etiam in ratione peccati.

Hoc autem PERSUADERI POTEST 1° quoniam peccatum originale est privatio gratiae et iustitiae originalis; sed nullum peccatum veniale excludit gratiam; ergo peccatum originale est gravius. Probatur consequentia quoniam essentia peccati consistit in privatione alicuius boni, supra, q.71, a.6, dubitatio 1, et quanto maius est bonum quod excluditur tanto deterior et gravior est privatio, supra, q.73, praesertim a.4. — CONFIRMATUR 1°, quoniam quaedam venialia non privant nisi virtute urbanitatis aut liberalitatis quae virtutes minimae sunt comparatione charitatis et gratiae. —

CONFIRMATUR 2° ad hominem contra D.Thoma, quoniam in q.5, de malo, a.1 ad 9<sup>124</sup> asserit originale peccatum comparatione totius naturae humanae esse gravius peccato veniali quoniam maiori bono privat; sed similiter personam hanc singularem maiori bono privat originale peccatum quam veniale; ergo etiam comparatione huius personae particularis gravius est peccatum originale.

2<sup>um</sup> ARGUMENTUM: quoniam ex suo genere gravior est poena qua punitur originale peccatum, nam poena damni ex suo genere gravior est quam poena sensus siquidem maius bonum excludit; sed peccatum veniale non punitur poena damni sed poena sensus; ergo gravius est peccatum originale. Probatur consequentia quoniam quamvis Deus puniat citra dignum ea enim proportione punit ut graviorem culpam ulciscatur graviori poena. —

CONFIRMATUR 1° quoniam si daretur optio eligandi magnam tormentorum vim ut vel una die haberetur divina visione frui dictaret prudentia eligendam esse ut docuit Augustinus 3 de libero arbitrio, cap. ultimo, fine, et sermone 2 de omnibus sanctis; ergo divina visione carere in aeternum est poena gravior quam magna vis tormentorum. Probatur consequentia quoniam prudentia non dictat tolerandam esse graviorem poenam ut vitetur levior sed e contra. —

<sup>123</sup> FRANCISCUS SUAREZ, 3 p., q.1, a.4 (Ed. Vivès 1860, t.17. p.195).

<sup>124</sup> THOMAS AQ., *De malo*, q.5, a.1 ad 9 (Ed. Vivès, 13, p.438).

CONFIRMATUR 2<sup>o</sup> quoniam certum est quorundam iustorum morientium animas propter sola venialia peccata tempore aliquo exulare a regno coelesti: quo supposito peto utrum illud exsilium sine alia poena sensus sit sufficiens poena peccati venialis, quod si asseritur inde infero graviorem esse poenam originalis peccati quoniam gravius est exsilium aeternum quam brevissimi temporis sicut asseras venialia semper puniri poena sensus cum haec ex suo genere levior sit quam aeterna poena damni, fiet inde ut levis aliqua poena sensus et breve exsilium simul sumptae efficiant poenam leviolem quam sit poena aeterni exsilii.

Unde sumitur 3<sup>um</sup> ARGUMENTUM: quoniam poena originalis peccati quaecumque sit aeterna est, et poena venialis peccati quaecumque sit est temporalis; ergo gravior est poena originalis ac proinde gravior est culpa.

4<sup>um</sup> ARGUMENTUM: quoniam peccatum mortale ex genere suo gravius est peccato veniali; [f.508v] sed originale peccatum est mors; ergo originale gravius est peccato veniali. Consequentia probatur ex illa maxima, sicut optimum est optimo melius et tale est tali melius, quod si aurum pretiosius est argento, et optimum aurum pretiosius est optimo argento, consequens est vilissimum aurum praetiosius esse vilissimo argento; ergo si peccatum mortale gravius est veniali et maximum peccatum mortale gravius est maximo veniali, consequens erit levissimum peccatum inter mortalia quod est originale gravius esse levissimo peccato veniali.

5. Denique, quoniam saltem concedendum videtur originale peccatum esse magis nocivum homini siquidem plura et maiora bona destruit et alia impedit, ut supra dictum est, atque pluribus et maioribus malis viam aperit affertque impotentiam ab illo resurgendi quam non affert veniale peccatum.

Nihilominus sit 1<sup>a</sup> CONCLUSIO: originale in ratione peccati levius est quolibet peccato veniali non solum ex genere sed etiam si cum levissimo peccato veniali conferatur. Ita sentiunt communiter Doctores antiqui quamvis non eisdem verbis nec eadem ratione. D. Augustinus citandus in probatione 2; Altissiodorensis 2<sup>o</sup> trac. 2 d cap.4 in q.4 incidenti

D.Thomas de malo q.5, a.1 ad 9<sup>125</sup> et in 2, d.33, q.2, a.1 ad 2<sup>126</sup> et q.87 a.4 in argumento 2 et eius solutione<sup>127</sup>, et consonat 3 p., q.1, a.4<sup>128</sup> ubi nullo peccato excepto ait originale peccatum intensive levius esse quam actuale. Et ratio D.Thomae ibi et ubique sumitur ex minore ratione voluntarii quae suam vim retinet comparatione cuiusque peccati venialis. Conclusionem praeterea docet expresse Conradus q.81, a.1 ante solutionem argumentorum<sup>129</sup> et q.82, a.1 ad 2<sup>130</sup>; Capraeolus 2, d.30, q. unica ad argumenta; Durandus contra 2 conclusionem; Ruardus, a.2 contra Lutherum in 4 opinione<sup>131</sup>; D.Thomas § *quia ut diximus*, pag.46; Bellarminus, tomo 3 de amissione gratiae, libro 4, cap.10 ad 3<sup>132</sup>; Andrade libro 3 orthodoxarum explicationum, axioma 2, fol 88.— Eandem videtur supponere Caietanus 1.2. q.87, a.5 et 3 p., q.1, a.4 nihil limitans D.Thomae sententiam.

1<sup>a</sup> RATIO conclusionis: quoniam de essentia peccati est voluntarium et liberum, supra q.71, a.6, dubio 4; sed originale peccatum est minus voluntarium quam levissimum veniale etiamsi habeat tantum semiplenam libertatem, quoniam in hoc veniali existit volitio personae sive realis sive interpretativa, sed in peccato originali nulla est volitio personae sed tantum naturae in capite.

CONFIRMATUR quoniam inde sequitur peccatum originale habere minorem oppositionem contra legem Dei, in qua praecipue consistit ratio peccati, nam lex Dei directe et plene obligat eum qui personali voluntate legem servare potest aut violare; sed eum qui non sua sed capitis voluntate potest servare aut transgredi non obligat nisi modo infimo obligationis ac proinde transgressio illius est infima in ratione transgressionis.

2<sup>a</sup> RATIO: quoniam ut Augustinus inquit in Enchiridion cap.93, *mitissima sane poena erit eorum qui praeter peccatum quod originale*

<sup>125</sup> THOMAS AQ. *De malo*, q.5, a.1 ad 9 (Ed. Vivès, 13, p.438).

<sup>126</sup> THOMAS AQ., *In 2 Sententiarum*, d.33, q.2, a.1 ad 2 (Ed. Vivès, 8, p.450).

<sup>127</sup> THOMAS AQ., 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q.87, a.4, arg.2 (Ed. Vivès, 2, p.540s).

<sup>128</sup> THOMAS AQ., 3 p., q.1 a. 4 (Ed. Vivès, 4, p.571).

<sup>129</sup> CONRADUS KOELLIN, O.P., *In Primam Secundae a.1* (Venetiis 1589, p.637).

<sup>130</sup> ID., *Ibid*, q82, a.1 (p.646).

<sup>131</sup> RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum, opinio 4<sup>a</sup>* (Lovanii 1565, p.44).

<sup>132</sup> ROBERTUS BELLARMINO, *De amissione Gratiae*, l.4, c.10 (Ed. Vivès, t.5, p.357).

*traxerunt nullum insuper addiderunt*<sup>133</sup> [f.509] quod autem Augustinus poenam mitissimam ex culpae levitate collegerit indicant verba quae sequuntur et in caeteris qui addiderunt peccatum tanto quisque tolerabiliorem habebit damnationem quanto minorem habuit iniquitatem; idem docuit Augustinus 5 in Julianum cap.8, quam sententiam Magister recipit 2, d.33 § *Alioquin*<sup>134</sup>, et ibi communiter scholastici. — Vide quae dicemus in solutione 2<sup>i</sup> et 3<sup>i</sup> argumenti.

Eidem rationi favet comparatio duorum hominum qui duo furta commisserunt gravitate prorsus aequalia sed unum teneatur adhuc originali peccato sine ullo peccato veniali alter vero liberatus iam a peccato originali commiserit praeter furtum aliquod veniale peccatum. Ex his gravius punietur inferno qui tenetur mortali peccato et veniali quam qui tenetur peccato mortali et originali, et excusus non provenit ex culpa mortali personali quam suppono fuisse aequalem; ergo provenit ex culpa veniali.

Sed ne aliquis existimet fieri posse ut quamvis originale peccatum sit levius in ratione culpae nihilominus sit gravius in communi ratione mali aut nocivi, addo

CONCLUSIONEM 2<sup>am</sup> ex mente Altissiodorensis citati: peccatum originale in ratione nocivi aut mali levius est quocumque peccato veniali ita ut non solum secundum se sed etiam comparatione huius hominis magis malum et magis nocivum sit quodlibet peccatum veniale ac proinde data hypothese quod fugiens peccatum veniale necessario incideret in originale deberet quilibet homo prudens magis fugere a veniali peccato levissimo quam ab originali. Haec conclusio magis ambigua est quam praecedens quoniam non infertur ex illa tantum, sed adiuncta alia conclusione quam docuimus in q.88, a.1, dubio 6 fine<sup>135</sup>, scilicet, venialis culpa est respectu hominis malum gravius et magis nocivum quam quodcumque aliud malum citra culpam, qua doctrina supposita, efficaciter colligitur praesens conclusio, quoniam si in peccato originali rationem mali et nocivi respectu huius hominis praescindas a ratione culpae illa ratio mali et nocivi erit levior in ratione nocivi quam culpa venialis. Rursus si adiungas rationem culpae

<sup>133</sup> AUGUSTINUS, *Enchiridion*, c.103 (PL 40, p.275).

<sup>134</sup> PETRUS LOMBARDUS, *op.cit.*, 2,d.33,c.2. (Ed.cit.p.482).

<sup>135</sup> ATG 53 (1990) p.219.

originalis et nocumentum quod in ratione culpae essentialiter includitur hoc etiam levius est ut constat ex conclusione praecedenti; ergo totum nocumentum originalis peccati est inferioris ordinis quam nocumentum venialis peccati. Vide quae dicemus ad fundamentum Guillermi.

PETIS 1<sup>o</sup>: si necessarium esset eligere unum e duobus peccatis utrum eligendum esset potius originale quam veniale peccatum

RESPONDEO tribus PROPOSITIONIBUS:

1<sup>a</sup>, si ita supponatur hypothesis ut illi qui eligeret originale peccatum imputaretur ratione suae personalis electionis malum quod eligit, iam non esset solum originale sed etiam personale peccatum [f.509v] et ideo non pertinet ad comparisonem praesentem. —

2<sup>a</sup> PROPOSITIO: si ille qui eligeret originale peccatum eligeret simul ut Adamus peccaret ille etiam eligeret non solum peccatum originale sed etiam personale, quod alienum est a praesenti comparatione. — 3<sup>a</sup> propositio: data hypothesi quod necessario eligendum esset originale peccatum aut veniale supposito quod iam independenter a tua electione commissum est peccatum Adami prudenter eligeres contrahere originale peccatum et imprudenter eligeres potius culpam venialem levissimam, quorum exactum examen longiorem disputationem requirit. Conferantur tamen cum his quae in simili diximus in q.88, a.1, dubio 6<sup>136</sup>.

2<sup>o</sup> PETIS utrum originale ita sit levissimum ut de potentia absoluta non posset esse aliud peccatum originale levius. —

RESPONDEO, quod attinet ad voluntarium et imputabile videtur non posse levius esse quam de facto est, forte autem potuit esse peccatum levius quod attinet ad bonum amissum si non gratia et originalis iustitia sed aliquod donum supernaturale minus perfectum amitteretur vel si Adamus in quantum caput non obligaretur ad servandam posteris sub mortali sed tantum sub veniali peccato, ita ut illa formalitas peccati qua ut caput peccaret amittendo iustitiam posteris esset tantum veniale peccatum. — In his nullam contradictionem video sed ut absolute asseram esse possibilea firmiter desidero fundamentum.

Ad fundamentum Guillermi RESPONDEO: recte probat originale peccatum gravius esse quantum ad aliqua: — 1<sup>um</sup> quoniam est morbus magis intimus et intrinsecus utpote qui auferat vitae radicem quae gratia

<sup>136</sup> ATG 53 (1990) p.205.

est et sit mors ipsa animae. — 2<sup>um</sup> quod inde sequitur impotentiam affert resurgendi nisi divina virtute. — 3<sup>um</sup> propterea aeternitatem quandam habet et extensionem mali in omnes partes hominis. — Verum haec omnia mala absolute sunt leviora quam venialis culpa quoniam ratio culpae quae omnium malorum maximum est gravitate mali vincit originalem culpam ut ostensum est.

Ad fundamentum Suarez simulque ad argumentum, RESPONDEO ex D.Thoma in 2, d.33, q.2, a.1 ad 2<sup>137</sup>: inimicitia Dei et privatio gratiae et iustitiae originalis habent rationem poenae tantum si praescindantur a voluntario, et culpae non habent amplius quam habent voluntarii, cum autem in originali peccato sit minimum voluntarium ut probatum est, minima est ratio culpae in eius inimicitia et privatione gratiae ac proinde minor ratio mali quam in peccatis venialibus —

Quare, ad probationem conclusionis RESPONDEO privationem tantum esse deteriorem quanto maius bonum excludit si aequaliter debitum sit illud bonum, et aequaliter imputabilis eius exclusio, sin minus fieri potest ut minoris boni privatio sit turpior. Hinc constat solutio primae confirmationis. —

Ad 2<sup>am</sup> confirmationem RESPONDEO: si illa verba D.Thomae [f.510] intelligantur de intensiva gravitate debet in collectione totius naturae humanae includi etiam Adamus, quo modo constat gravius esse peccatum totius naturae; si vero excludatur ab hac comparatione Adamus, accipienda sunt illa verba de solo excessu extensivo gravitatis, sed utroque modo intellecta minus apte cohaerent cum textu quae videtur esse ratio ob quam D.Thomas aliis in locis alia distinctionis forma praesentem quaestionem solverit.

Ad 2 RESPONDEO negando antecedens, nam ut observat D.Thomas De malo, q.5, a.1 ad 3<sup>138</sup>, et Conradus 1 2, q.87, a.5 ad 2, maioris boni carentia tunc erit poena minor quando illud maius bonum est multo minus debitum quam aliud minus bonum. Hac enim ratione vulgarem militem tenui patrimonio aut peculio privare gravior poena erit quam impedire ne summam consequatur imperii: eadem ergo ratione poena damni quae originali peccato respondet minor est absolute quacumque poena sensus, quoniam poena sensus excludit bonum aliquod naturaliter

<sup>137</sup> THOMAS AQ., *In 2 Sententiarum*, d.33, q.2, a.1 ad 2 (Ed. Vivès, 8, p.450)

<sup>138</sup> THOMAS AQ., *De malo*, q.5, a.1 ad 3 (Ed. Vivès, 13, p.438).



debitum et conveniens, sed poena damni excludit visionem quae non erat debita parvulis nisi caput omnium servaret originalem iustitiam.

Ad 1<sup>am</sup> confirmationem RESPONDEO negando consequentiam; et ad eius probationem RESPONDEO distinguendo antecedens, nam poena quae propterea gravior est in ratione poenae quoniam excludit bonum magis debitum, toleranda est secundum rectam prudentiam ad vitandam eam poenam quae propterea minor est quoniam est minus debiti boni sed excludit maius bonum; qua ratione in exemplo nuper adducto vulgaris miles prudenter sustineret rapinam patrimonii aut peculii, imo illam eligeret si opus esset ad confirmandum imperium.

Ad 2<sup>am</sup> confirmationem RESPONDEO: animabus purgatorii una hora exulere a regno coelesti est poena gravior quam pueris limbi in aeternum exulere, quoniam qui sunt in purgatorio filii sunt et haeredes regni, qua ratione Absaloni revocato iam ab exilio non videre faciem regis poena fuit adeo gravis ut mortis supplicium asserat esse sibi tolerabilius, 2 Regum c.14, fine, et tamen rusticis hominibus et a regia civitate procul agentibus haec aut nulla aut levissima poena erat.

Ad 3 RESPONDEO 1<sup>o</sup>: quamvis poena originalis peccati aeternitate superet poenam venialis peccati vincit tamen absolute quoniam privato bono multo minus debito. — 2<sup>o</sup> solutionem tradit D. Thomas infra q.87, a.5 ad 2<sup>139</sup>, et 2, d.30, q.1, a.1 ad 2<sup>140</sup>, hoc modo: originali peccato non debetur poena quae propter gravitatem peccati [f.510v] sit aeterna, sed aeterna est propter conditionem subiecti quoniam homo sine gratia invenitur et impossibile est obtineri sine gratia remissionem poenae aut culpae. Idem fere Altissiodorensis citatus in conclusione 1<sup>a</sup>. — Sed obiciens originale peccatum essentialiter est privatio gratiae et iustitiae originalis, sed privationem gratiae per se et ex natura rei consequitur aeternitas poenae; ergo peccatum originale per se et ex natura sua habet aeternam poenam; ergo aeternitas poenae sequitur ex intrinseca gravitate originalis peccati. —

CONFIRMATUR quoniam mortalis peccati propterea poena est aeterna quoniam aufert principium satisfaciendi quod est gratia; idem autem principium aufertur originali peccato; ergo illius poena per se erit aeterna. —

<sup>139</sup> THOMAS AQ., 1 2, q.87, a.1 ad 2 (Ed. Vivès, 2, p.542).

<sup>140</sup> THOMAS AQ., In 2 Sententiarum, d.30, q.1, a.1 ad 2 (ed. Vivès 8, p.401).

RESPONDEO: forte mens D.Thomae fuit eiusmodi esse culpam originalem ut facilius impetraretur venia culpae et condonatio poenae quam venialis culpae si existens in originali peccato haberet gratiam qua aliquid mereretur; at vero peccati mortalis personalis venia non impetraretur facilius quam venialis peccati etiam si Deus manente peccato gratiam infunderet, sive hypothesis possibilis sit sive impossibilis, quod nihil refert.

Ad 4 RESPONDEO: peccatum mortale quando dicitur ex genere esse gravius peccato veniali accipitur pro peccato personali distincto ab originali. —

Quod si INSTES mors animae, inimicitia Dei, transgressio divinae legis et reliqua predicata essentialia peccati conveniunt peccato originali simpliciter, sed veniali peccato non conveniunt simpliciter sed tantum secundum quid; ergo omne peccatum mortale etiam originale erit gravius. —

RESPONDEO negando consequentiam: ut enim medicina simpliciter sana et homo paralyticus est sanus secundum quid et tamen sanitas secundum quid hominis paralytici in ratione sanitatis absolute perfectior est quam sanitas medicinae quoniam homo participat rationem principalis analogati sed medicina non est sana nisi per attributionem ad animal, ita peccatum originale non est peccatum nisi attributione ad voluntarium personale, quod formaliter est in peccato veniali quapropter ratio peccati quae secundum quid est in veniali est absolute perfectior quam ratio peccati quae simpliciter est in peccato originali.

Ad 5 RESPONDEO negando antecedens quoniam minor culpa semper est minus nociva ut dictum est conclusione 2 et responsione ad fundamentum Guillermi.

#### **Dubitatur 4°**

#### **Utrum peccatum originale**

**sit malum gravius quam prorsus non esse.**

**Ubi etiam de comparatione cum aliis malis poenae**

Affirmativam partem suadent tria argumenta:

— 1<sup>um</sup> sumitur ex cap.20 Ieremiae, fine, [f.511] et cap.3 Iob, ubi dies nativitatis et nox conceptionis maledicatur, cuius maledicti rationem esse peccatum originale generatione contractum existimat Origenis, homilia

8 in Leviticum<sup>141</sup> explicantis verba Ieremiae; tribuitur Bedae et Philipo monacho in commentario Iob, cap.3, nec multum disident ibidem D.Gregorius, libro 4, cap.6 et praesertim c.7<sup>142</sup>, et Clemens Alexandrinus, 3 Stromatum ad finem<sup>143</sup>, quorum alter Iobum, Ieremiam alter ita interpretatur ut peccata et aerumnae omnes huius vitae ratio fuerint maledicendi sed praecipue originale peccatum ratione cuius tot malis obnoxii nascitur infans quam explicationem fusius persequitur Sixtus Senensis libro 8, haeresi 10, quo supposito sic arguitur: Ieremias et Iobus praeoptant nullo modo subsistere potius quam in peccato originali concipi; ergo peccatum originale malum est gravius quam non esse, alioqui contra rectam rationem eligerent maius malum ad vitandum minus. Respondebis Ieremiam et Iobum non optare prorsus non esse sed tantum mortem in utero, qua anima rationalis separata manet a corpore quod tantum indicant postrema verba Ieremiae cap.20 et totum 3 caput Iobi.

Contra hoc ARGUITUR 1<sup>o</sup> quoniam originale peccatum non contrahitur nativitate sed in ipso instanti infusionis animae quae non prius tempore existit quam infundatur; ergo si aliquid praeeligitur quo liberarentur ab originali eligitur non pervenire ad vitam etiam in utero per infusionem animae in corpus. — Confirmatur quoniam ita significare videtur versus 16 eiusdem capituli 3, aut sicut abortivum absconditum non subsisteret vel qui concepti non viderunt lucem, et 20 versus, quare misero data est lux et vita iis qui in amaritudine animae sunt. — Ac postremo Hieronimus in citata verba Ieremiae ait melius est omnino non esse quam male esse<sup>144</sup>.

2<sup>um</sup> ARGUMENTUM est: quoniam culpa mortalis est malum ex suo genere gravius quam malum poenae; ergo minima culpa mortalis qualis est originalis erit malum gravius quocumque malo poenae. Probatur consequentia quoniam quae ex genere sunt minus perfecta numquam perveniunt ad perfectionem rei quae ex genere perfectior est, sicut linea numquam pervenit ad perfectionem corporis; ergo eadem proportio servanda erit in malitia.

<sup>141</sup> ORIGENES, *In Leviticum, homilia 8* (PG 12, 495).

<sup>142</sup> S. GREGORIUS MAGNUS, *MORALIUM L.4* (PL 75, 639s).

<sup>143</sup> CLEMENS ALEXANDRINUS, *Stromatum l.3* (PG 8, 1199).

<sup>144</sup> S. HIERONYMUS, *Commentarius in Ieremiam Prophetam. C.20* (PL 24, 839).

3<sup>o</sup>, quoniam si originalis culpa esset malum levius quam absolute non esse, fieret inde *licere* electionem originalis culpae ad vitandam annihilationem si necessarium esset alterum malum incurrere ad vitandum alterum, consequens autem absurdum est quoniam electio culpae non potest non esse culpabilis ac proinde imprudens.

Praemitto certum esse originalem culpam esse malum gravius quam non esse si [f.511v] sub nomine culpae originalis comprehendamus non solum reatum quem filii contrahunt sed etiam primum peccatum quatenus Adamo imputabile fuit quoniam ut sic erat peccatum mortale personale quod gravius esse quolibet malo poenae etiam annihilatione, probatum est q.88, a.1, dubio 6<sup>145</sup>.—

— Igitur quaestio praesens praescindit a formalitate peccati personalis et in actu Adami solum accipit reatum originalem infantis simul cum actu Adami praecisse ut erat peccatum infantis. Quaestio igitur clarius explicatur sic: supposito quod iam Adamus nomine posteritatis peccaverit et attendendo solummodo id quod malum et nocivum est infanti nihil curando quid Adamo vel aliis hominibus malum fuerit quaeritur utrum Abeli infanti minus malum sit numquam fuisse quam originale peccatum contrahere.

Sit CONCLUSIO: originale peccatum est malum absolute levius quam non esse et cuicumque homini melius est subsistere cum originali peccato quam non subsistere. Ita D. Augustinus libro 5 in Iulianum, cap. 8 fine<sup>146</sup>, ubi ait parvulis expedire potius nasci quamvis puniendi sint aeterna poena limbi quam omnino non subsistere ut ab ea poena liberarentur et quamvis non faciat expresam mentionem culpa colligitur tamen illius mentem esse culpam et poenam originalem comprehendere, alioqui nec satisfaceret difficultati quam tractabat nec satis ad rem diceret illud testimonium Christi Domini *melius erat ei si natus non fuisset* non posse affirmari de iis qui solo originali peccato tenentur. Manifestius conclusionem docent D. Thomas q. 83, a. 1 fine<sup>147</sup>, subscribente Conrado<sup>148</sup> et non contradicente Caietano et Altissiodorensi, libro 2, tract. 27, cap. 4.

<sup>145</sup> ATG 53 (1990) p. 205.

<sup>146</sup> AUGUSTINUS, *Contra Iulianum pelagianum l. 5, c. 11* (PL 44, 809).

<sup>147</sup> THOMAS AQ., *l. 2, q. 83, a. 1 fine* (Ed. Vivès, 2, p. 522)

<sup>148</sup> CONRADUS KOELLIN, O.P., *In Primam Secundae, q. 83, a. 1* (Venetiis 1589, p. 654).

D.Bonaventura 2, d.32, a.3, q.2 prope finem et d.30, a.1, q.2 ad 2<sup>149</sup>.

EXPLICATUR conclusio ut infanti non solum sit melius nasci quamvis cum originali peccato quoniam per auxilia gratiae et sacramentorum potest liberari a culpa originali sed etiam in limbo ubi nulla est spes remedii melius sit infanti subsistere quamvis cum originali peccato quam annihilari, quod colligitur ex Augustino et Altissiodorensi citatis sed manifestius ex D.Thoma in illa voce *praesertim* et docet Zumel, q.83, a.1, dubio 2, dicto 2, quamvis de poena tantum et non de culpa videatur loqui.

PROBATUR conclusio 1° quoniam si culpa originalis praecise sumpta ut est malum filiorum Adami esset malum aut aequale aut gravius annihilatione sequeretur pactum a Deo initum cum Adamo rigidum fuisse et indignum divina aequitate atque liberalitate quoniam afferret periculum maioris mali et spem minoris boni: si enim annihilatio malum est levius quam originalis culpa, cum annihilatio ex[f.512] cludat omnia bona non solum naturae sed etiam gratiae et gloriae respectu hominis annihilati sequitur inde omne bonum quod sperari potuit ex iustitia Adami esset in ratione boni inferius quam culpa originalis sit in ratione mali; consequentis absurditas constat ex sectione 1, dubio 2, conclusione 2<sup>150</sup>. — Confirmatur quoniam Deus propter peccatum Adami nihil reale abstulit eorum bonorum quae homini sunt naturaliter debita quoniam horum privationem noluit pendere nisi ex voluntate personali aut ex naturalibus causis quanto multo minus voluisset malum annihilatione gravius pendere ex sola voluntate capitis.

PROBATUR 2° a priori, quoniam supposito peccato iam ab Adamo commisso nihil intensionis malitiae augetur generato alio filio Adami sed tantum extenditur malitia existente in puero privatione iustitiae originalis quae constituitur in esse culpae per ordinem ad peccatum Adami iam ante commissum quare tota radix malitiae iam ante huius hominis generationem extitit et hic homo denuo generatus unitur cum praeexistente peccato et inde originalem culpam sibi inhaerentem participat at vero extensio peccati hoc modo explicato minus malum prae se fert quam omnino non esse.

---

<sup>149</sup> S. BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, d.32, a.3, q.2; d.30, a.1, q.2 ad 2 (Ed. Quaracchi, 2, p.774; 716).

<sup>150</sup> ATG 63 (2001) p.229.

3º, quoniam si originalis culpa fuisset malum gravius quam omnino non esse fierit inde ut homo prudenter posset optare annihilationem potius quam manere in originali peccato quod falsum est ut dicetur ad 3.

4º PROBATUR quoniam ex hac conclusione elicitur solutio clarior argumentorum quibus haeretici oppugnant originale peccatum quoniam ex illo sequeretur peccatum esse vacare generationi et contra ordinem divinae sapientiae et misericordiae esse animam infundere corpori a quo necessario maculanda sit originali peccato quamvis eadem argumanta aliam solutionem habeant, supra sectione 2, dubio 3<sup>151</sup>, et infra, sect.5, dubio 4. —

CONFIRMATUR quoniam si deterius esset manere in originali peccato quam non esse, indignum esset divina misericordia quae semper iustitiam temperat animam infundere corpori quam certo scit discessuram esse sine baptismo et sine ulla culpa personali nam eorum qui personali voluntate sibi damnationem acquirunt alia est ratio.

Originalem culpam comparare cum singulis quibusque malis et privationibus bonorum res esset immensi operis, duo tantum ex dictis colligo: 1<sup>um</sup> poena inferni et similia mala quae cum annihilatione de gravitate decertant graviora sunt quam originale peccatum propter rationes dictas. 2<sup>um</sup> valde ambigua est sententia Cordubae Lib.1, q. gr.49 prope finem dicentis Beatissimae Virgini fuisse eligibilis mundam fuisse ab originali peccato vel uno temporis momento quam esse Dei Matrem. — Et quidem si in hac munditia includas iustificantem gratiam qua de lege omnes mundantur ab originali peccato dubito de hac sententia. - Si autem ex una parte constituatur ea mundities ab originali peccato [f.512v] quae potest esse sine gratia si aliquis non procederet ex paterno genere Adami vel prorsus exciperetur a pacto cum Adamo inito, hanc munditiam existimo esse minus bonum quam sit dignitas Matris Dei et propterea Maternitatem prudenter eligeret Beatissima Virgo. - Nec opus esset electionem terminari ad amandam culpam originalem sed tantum ad tolerandam sive permittendam, unde solvitur argumentum Cordubae.

Ad argumenta initio proposita RESPONDEO: ad 1<sup>um</sup> Respondeo 1<sup>um</sup> illa maledicta possunt referri ad calamitates et labores prope intolerabiles in

<sup>151</sup> ATG 65 (2002) p.330.

quibus Ieremias et Iob versabantur. Ita intelligit Hieronimus, Ieremias 20<sup>152</sup>, quem sequitur Glossa ordinaria. —

RESPONDEO 2<sup>o</sup>, illis verbis forte explicatur affectus sensitivae partis aut naturalis velleitas voluntatis et indignatio sine efficaci volitione ut intelligit Lira, Ieremias 20, et Theodoretus ibidem, prae nimio dolore nulla subsistente causa Ieremiam in maledictam prorrupisse asserit quod potest ad eandem explicationem reduci. —

RESPONDEO 3<sup>o</sup>, Iobus et Ieremias detestantur et maledicunt nativitatem sive conceptionem praecisse sub ea ratione qua originalem culpam et illius fructum, scilicet, peccandi pericula et labores attulit, nec mirandum est si modus loquendi amplius aliquid significare videatur quoniam accommodatus est ad communem phrasim eorum qui rebus premuntur adversis nec novum est Sacrae Scripturae verba aliquando intelligenda esse formaliter et praecisse, ut illud Ioannis 3 *omnis qui natus est ex Deo non potest peccare* et in Veteri Testamento quoties denuntiatur Christi Domini adventu destruendos fuisse peccatores intelligendum est formaliter ut peccatores sunt.

In his tribus solutionibus negandum est antecedens illius primi argumenti etenim mors vel annihilatio hominis non praeponuntur vitae calamitosae et infectae originali peccato sed mors vel annihilatio culpae et laborum manente hominis substantia praeponitur generationi et nativitati praecisse quatenus est culpae et laboribus obnoxia.

Ad 2<sup>um</sup> distinguo antecedens: culpa personalis ex suo genere deterior est quocumque malo poenae sed non culpa originalis etiamsi mortalis fuerit.

Ad 3 Zumelius q.8, a.1, dubio 1 fine, ait potius eligendam esse annihilationem quam contrahere originalem culpam; nihilominus respondemus eadem distinctione qua praecedenti dubio post 2<sup>am</sup> conclusionem usi sumus: 1<sup>o</sup> igitur, si originale peccatum ita eligeres ut propter electionem liberam imputandum foret personali voluntate, iam non solum esset peccatum originale sed etiam personale ac proinde foret deterius quam non esse et electio esset contra prudentiam et hoc tantum probaret argumentum 3. —2<sup>o</sup>, supposito quod iam est commissum peccatum Adami et quod nulli datur facultas existendi nisi aliquando sit

---

<sup>152</sup> S. HIERONYMUS, *Commentarius in Jerm. c.20* (PL 24, 839).

in originali culpa, prudenter eligeres existere quasi tolle[f.513]rando et  
permittendo tuam culpam originalem ut fruaris existentia et opera-  
tionibus humanis quod bonum merito anteponis immunitati ab originali  
culpa quae coniuncta est cum non existentia sive annihilatione.